f 2.24

Eplog[illegible]rum

et

u. f. Loch[illegible]

[illegible]

86

6/-

This book consists of
1. Oologia Curiosa
11. Nerium & Rhododafne

24,022/B

D. XIX

17/g

1) GARMANN, C.F.

2) LOCHNER, M.F.
pp. 105-112 wanting

G. Laurer

J. C. Burnett
1875



CHRISTIANI FRIEDERICI
GARMANNI,
MEDICI E. S. PROVINCIALIS, PHYSICI CHEMNICENSIS, ACADEMICI CURIOSI,

OOLOGIA CURIOSA

duabus partibus abſoluta,

Ortum corporum naturalium

EX OVO

demonſtrans.

CYGNEÆ,
Ex LITERIS CHRISTIANI BITTORFFI.
Sumptib⁹ Johannis Chriſtoph. Weidneri, Bibliopolæ Nivemontani.

[1691]

93970

WELLCOME HISTORICAL LIBRARY INSTITUTE

LECTURIS
Salutem & obſervantiam.

ANnus agitur ſupra vigeſimum primus, cum primum Hominem ex Ovo ſive Diſſertationem de Ovo humano Doctorum cenſuræ ſubmitterem. Excipiebatur Homo ille ſingulari eorum humanitate, & aliquoties etiam commendabatur publicè. Non deerant interim, quibus nova hypenemia ova, quique Gallinas non homines ova ponere à matribus reſcriverant, qui riſu & ſcommatibus illud exagitarent, Ovum humanum ſolis in lunari orbe Selenitidibus convenire judicantes. Id namque novorum inventorum fatum hactenus fuit, ut eorundem Autores & propugnatores obelus gravis maneret, & ſvavis cum contemtu exſibilatio. Fidem tamen invenit Ovum illud, comprimis cum id, in illuſtri Philuræa publicè demonſtrarent Anatomici dexterrimi & exercitatiſſimi Bohnius & Etmüllerus, & poſt hos in aliis locis alii. Ita veritas temporis filia, *veteri apud A. Gellium(a) poëtæ* nuncupata, tandem Scepticis aſſenſum extorſit, Scopticis verò in attritis genis ruborem pinxit. Adeò nullibi impunè peccatur, quod dies condit, revelat etiam dies. Scripſeram in iſta Diſſertatiuncula non ſolùm hominem, ſed & bruta omnia ex ovo eſſe, Magni illius Democriti Anglicani Gvilielmi Harvei veſtigia legens. Mirabantur multi hanc ad paradoxa pronitatem, irridebant hoc meum novitatis ſtudium non pauci, ſuggillabant quidam. Quaſi verò novum hoc eſſet, quod jam olim de plantis aſſeruerat *Empedocles*, de metallis verò *Caſtellæ & Legionis Rex Alfonſus*? Horum veſtigia ſecutus Oologiam hanc conſcripſi, ut tandem viderent naſutuli, quid in commentariis Virorum Clariſſimorum, quos quidem evolvere illi alto ſupercilio nauſeant, de hac materia lateret, quidque ſolidi involveret explicare ante pluſculos annos anniſus ſum. Preſſi tamen eandem hactenus, & adhuc forſan premerem niſi Fautorum & Amicorum continua interpellatio tandem viciſſet, animumque ſubtimidum adverſus tumidos Catones obfirmaſset. Promiſerat jam ante hos ſex annos Oologiam Curioſam *Excellentiſſimus Noſter Lentilius*, hujuſque Sciagraphiam *M.C. Decuriæ II. Anno III.* adjecerat. Qva lecta propoſitum de Oologia mea edenda mutavi, cum ſcirem Virum illum ingenioſum, & in naturæ &

Artis Circo probè exercitatum materiam illam me plenius excuſſurum, planiuſque explicaturum, ita ut his meis cogitatis & vigiliis doctus Orbis commodè carere poſſet. Quare oppidò literas ad illum dedi, meumque inſtitutum ipſi expoſui, meaque tenuia, quæ dudum conſignaveram ſuis ut inſereret, ſi quidem digna judicaret, ultro obtuli. Sed ad has nullum reſponſum retuli, an in itinere terreſtri naufragium paſſæ fuerint hæ literæ cum ignariſſimis ſcio. Poſt tot igitur annorum decurſum deſiderata illa cum non compareret Oologia Lentiliana, & cum de illa edenda ſpem non facerent Fautores & Amicorum plurimi, è quibus *Illuſtrem noſtrum Præſidem Dn. D. Volkamerum, Dn. D. L. Schroekium & nuper piè defunctum Dn. D. Clauderum* nomino, ſvaſu Eorundem hanc meam denuò in manus ſumſi, & jam correctiorem & auctiorem Lectori benevolo exhibeo. Videbunt autem à Lentiliana hanc meam toto Cœlo diſcrepare *B. Lectores*, cum illa Ovi naturam & hiſtoriam excutiat; hæc mea ortum corporum ex Ovo tantum expendat. Mea circa Phyſica tantum occupetur; illa præter hæc etiam ad Medica tranſeat & delabatur. Inſtitutum & ſcopum meum cum vel lippus videre valeat, pluribus non pando, nec, quæ me hoc iter ingredi compulerint, cauſas pluribus allego. Naturalis ſcientiæ amor à teneris ferè me tenuit, meque ſemper cupido inceſſit inveſtigare, qvæ à natura involuta ſunt, quod quidem nunquam me pœnituit, nec pœnitebit, dum vivam. Qvo ſucceſſu id fecerim, non dico, tenuitatis meæ probè conſcius, ſufficiat voluiſſe, ubi facultas defecit. Hoc de me affirmare poſſum, me veritatis amore eſſe captum, ſoloque illius ſtudio, quod pauciſſimis, *juxta Galenum*, (*b*) datum eſt, toto vitæ curriculo teneri, cœteris omnibus neglectis, quæ à quam plurimis aliorum multifieri ſolent. Nudam ideò lubens, *cum Helmontio*, (*c*) phyſicam aſpicio ubique, non ſanè figuras aut vires moventes in matheſi applico naturæ: Analogon devito quantum poſſum, ut & locutiones metaphoricas. Omnem naturæ neceſſitatem ſeminibus dicavi. Poëtica aliqvando miſceo medicis, philologica Phyſicis, & flores, *Zacutum* (*d*) *ſecutus*, ubique delibans, miſcellaneam ſector doctrinam. Nec intra Scholaſticæ methodi circulos ubique me contineo, quodque differentes in more habent, non rarò evagor, non ut argumentoſa prolixitate Lectori ſtomachum moveam, ſed animum ejus divertens indirecta via lucem theſi fœnerer. Rationum momenta ad experimentorum & obſervationum trutinam expendo, ſecus ac à plurimis factum deprehendimus.

Per

Per varios uſus artem experientia fecit
Exemplo monſtrante viam. (e.)

Nihil mihi arrogo, unicuique ſuum tribuo. Autores curioſè cito, verbis eorundem utor, mentem excutio, verum amplector, falſum rejicio, ſed hoc ſine felle, ſtylique mordacitate. Aculeos orationis ſicubi inſpergo, cum ſophiſtis, idiotis, ſuperciliofis, magnidicis & vanis promisſoribus mihi res eſt, eoſque candor & veritatis amor extorſit. His, quibus nihil ſapit, niſi quod proprium parturiit cerebrum & ſupercilium, qvique autores evolventes, & allegantes in compilatores & exſcriptores numerant, illud *Lipſii* (*f*) repono: Lapides & ligna ab aliis accipio: ædificii tamen exſtructio & forma tota noſtra. Architectus ego ſum, ſed materiam variè undique conduxi. Nec aranearum ſanè textus ideò melior, qvia ex ſe fila gignunt: nec noſter vilior, quia ex alienis libamus, ut apes. *Simeoni Sethi* (*g*) ova proprietate quadam ingenii ſolertiam efficere dicuntur iis, qui cum fluxu filiarum tauri, hoc eſt cum melle & butyro eſitaverint. Affectum & amorem veſtum hæc mea mihi ut concilient, *Lectores cordati*, humanitatis melle & ingenuitatis butyro tincti eadem inſpicite & legite. Errata Typographica, quæ, me abſente, irrepſerunt ipſi benevolè emendetis, & p. 71. l. 7. pro è quo, è qua inſeratis, rogito. Zoilos & Vitiligatores non curo, & in *Juſti Lipſii* (*h*) voto deſino: Abite à me Ophiagenes, abite Pſylli, nati venena tantum exſugere librorum. Vos contra adeſte mites & candidi, qui parati non impellere lapſantem, ſed benigna potius aliqua interpretatione levare. Nam ego me labi & errare poſſe non ſolum fateor, ſed debere. Nonne homo ſum? Longum mihi valete mei Lectores, & impoſterum poſteriorem hujus Oologiæ partem adhuc ſub prælo gementem, ut & tres de Miraculis mortuorum libros, de morbis Embryonis in utero, de humani anhelitûs ſalubritate & noxa, & de cadavere Diſſertationes, Centuriamque obſervationum Phyſico-Medicarum viſa, audita, lecta & cogitata ſiſtentem, ubi Dnn. Bibliopolarum favor acceſſerit, à me expectate. Chemnicii Miſn. è Muſeo. Calend. Maji A. R. S. M. DC. XCI.

(*a*) *l. 12. Noct. Attic. c. 11.* (*b*) *l. d. conſtitut. Artis. c. 7.* (*c*) *tr. imago ferm. imprægn. maſſam ſemine n. 71. p. 91.* (*d*) *l. 6. Med. Princip. Hiſt. 2. p. 912.* [*e*] *Manil. l. 1. Aſtronom. v. 61.* [*f*] *in not. l. 1. Polit. c. 1. p. m. 4.* (*g*) *l. de Aliment. lit. 10. cap. 1. p. m. 141.* (*h*) *præfat. in Polit.*

OOLOGIÆ CU-
RIOSÆ
PARTIS PRIORIS
DISSERTATIO I.

VIRIS

Maximè Reverendo, Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis, Excellentiſſimis,

DN. JOH. WILHELMO HILLIGERO,
Ephoriæ Chemnicenſis Ephoro, & ad D. Jacob. Paſtori.

DN. SALOMONI SIGELIO, Præfecturæ
Chemnicenſis Electorali Præfecto.

DN. CHRISTIANO CRUSIO, Conſuli
& Steuræ Electoralis Collectori.

DN. JOH. DAVIDI THOENNICKERO,
J. U. L. Practico, & Senatori.

DN. GEORGIO ENGELMANNO,
Senatori & Ædili.

DN. JOH. FRIDERICO COLDITIO,
J. U. C. Practico, & Prudentiſſ. Senatus Archivario.

DN. CHRIST. ALBINO SEIFRIDO,
J. U. C. & Senatori.

VIRIS
de omnibus functionibus optimè meritis,
Dominis Fautoribus, & Amicis
colendis
diſſertationem hanc Oologicam

L. M. G.

S.

HOſpitibus olim peregrè advenientibus, *teſte Vitruvio (a)* poſt primã inſtructam cœnam Xenia mittebant Græci, nec his ſolum, ſed &, *ſi Svidam(b) audimus*, aliquando amicis amici. Ovo inter hæc erat locus. Ita *Vitruvius:(c)* Mittebant pullos, ova, olera, poma reliquaſq; res agreſtes. Et *Martialis (d)* hæc Xeniis ſuis inſerere non dedignat⁹ eſt. Et ego vobis ova offero, non ut alienæ Reipublicæ è longinquo adventantib9 civibus, ſed quos civitas cōmunis, amicitiæq; nexus mihi per tot luſtra fecit conjunctiſſimos. Ova non quæ Gallinæ glocitantis parturiit ovarium, gulæ delicata fercula, latrantiſq; ſtomachi ſolatia; ſed myſtica, mythica, magica, mechanica, medica, ſpagyrica &c. animi elegantiorē literaturam appetentis exoptata obſonia, & paregorica famelicæ mentis bellaria. Mittebantur olim Xenia, & inter hæc ova, Sacerdotibus(e) Præfectis provincialibus, (f) Senatoribus, (g) Advocatis. (h) Cur non & Vobis hæc mea offerrem, qui functionibus iſtiuſmodi cum inſigni pietatis, probitatis & prudentiæ laude præeſtis? Plura ſunt, quam quæ quondam Ludovicus IV Imperator Auguſtiſſimus ob excellentem virtutē Schweppermanno ſuo, viro militari & ſtrenuo, decreverat, (i) pauciora tamen iis, quæ convivæ hiantes *apud Athenæum (k)* devorarunt. Pingebant pictores Xenia; ego ſcribo, ſcriptaq; modo domū Vobis mitto, *Martialem* in hoc imitatus, qui, *ut eſt apud Math. Raderum, (l)* quia res mittendæ deerant, nomina pro rebus, hoc eſt, diſticha conſcripſit, quæ loco Xeniorū & ipſe mitteret ſuis, & iis mittenda ſvaderet. Accipite, *Candida Pectora*, hæc vobis ſcripta, & inſcripta ova, conſtantis amoris & honoris pignora & Symbola. Chartacea ſunt, perennatura tamen, ſi veſtro favore & benignitate fota incaleſcent. Valete longum! feliciter valete!

(a) l.6.c.10. (b) in Lex. (c) c.l. (d) l.13. Epigr.39. (e) Joh. Grop. Becan. l. 4. Hermathen. p. 84. (f) è Caſſiodor. 7. Variar. Raderus cōment. in Mart. l.13. Epigr. p. 843. (g) C. Plin. Secundus. l.6. Epiſt.31. (h) id. l.4. Epiſt.14. (i) In ſuperiore Palatinatu (narrat Hierem. Drexelius l. 1. Cœl. Beat. c. 3. p.m. 201.) Cœnobiū eſt, in cujus peryſtilio Epitaphium cum hac inſcriptione: Singulis militibus ovum unum: Schweppermanno geminum. Epitaphii origo hæc eſt: Lud. IV. Imper. Auguſtiſſimus A.M.CCCXIV. eam añonæ difficultatē in caſtris expert⁹, ut quod alimoniæ reliqvū, parciſſimè inter militē fuerit diſtribuendū. Neq; verò aliud quidqvã ſupererat, qvàm ova. Hinc optim⁹ Imper. velut provid⁹ paterfamilas cū añona ingraveſcit, liberis ſuis graciles panis lamellas præſecat; ſic ille cuivis militi ovū unū aſſignabat. Erat tunc in exercitu Seufrid⁹ Schwep. vir ſanè militaris ac ſtrenu⁹, ampla fortuna dign⁹. Huic Imperator ob excellentē Viri virtutē ova duo præcepit dari. Hinc illa pars Epitaphii. [k] Echipp⁹ apud Ath. l. 2. Dipnoſ. c.16. p.56.

V.V.V. Dignitat. Ampl. & Excell.

devotus Cultor L. Chriſtian Fried. Garmann.

ENCOMIASTICA.

IN OOLOGIAM GARMANNIANAM CURIOSAM.

MOrtis qvi nuper dederat Miracula, pandit
Ovi vitalis dexteritate pari.
Hinc vivum laus viva manet, nec mortuus unqvam
Vivere ceſſabit docta per ora Virum.

Sic
celeberrimi Dni. Collegæ curioſiſſimo labori
adplaudit

D. LUCAS SCHROECKIUS, Luc.
Fil: Medicus & Comes Palatinus Cæſareus, Nobilis, Phyſicus Auguſtanus, Academiæ Imperialis Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Adjunctus, & Ephemeridum Director. d. Celſus.

MInutulum parabat ovulum Mundo *
Celebris eruditione GARMANNUS,
Qvod omnis hactenus colitqve laudatqve;
Adeſſe qvando grande nunc vident ovum,
Qvid inde lucis atqve laudis emerget?

* Tractatulum Homo ex Ovo inſignitum.

Nobiliſſ: Dno. Collegæ
lucernam olens hoc opus gratulatur, &
fauſta cuncta adprecatur

GABRIEL CLAUDERUS, D.
Arch. Elect. & Duc. Saxon. Acad. Leopold.
Nat. Curioſ. Adjunctus.

Sic,

SIc, GARMANNE, Artis medicæ prænobile ſidus,
Et Leopoldini pars adamata Chori,
Te doctæ pergis Doctorum ſiſtere ſcenæ
Amplius, & ſcriptis exhilarare Tuis
Pæonium numerum. Qvondam Tua docta Camœna
Ex ovis homines obtulit atqve dedit:
Ovula nunc porrò trutinas indagine multa;
Dum per Naturæ ſic tria regna doces,
Ovi qualis origo, ſiet, quæ commoda ſurgant
Felici partu mentibus inde bonis.
Multorum ſaturas animos, & corda legentum,
Et mentis offers fercula, grata gulæ.
Qvilibet hinc animô & ſtomachô ſatiatus, in ævum
Autori claro præmia digna feret.

D. EHRENFRIDUS HAGEN-DORNIUS,

Archiater Electoral. Saxonicus, & Medicus Gorlicenſis, Academicus Curioſus.

INtegritate, bonis ſcriptis, ac arte medendi
Ecce virum præſtas Te, nominis omine GARMANN.
Hæc quis non laudet, quis non applaudet abunde?
Tu, Veterum menſæ primæ caput, Ova revelas,
Poſtremæque brevi mihi erunt Bellaria cordi.
Prima Tibi ſurgit laus hinc, & gloria digna;
Poſtremus ne ſim, Tibi qui gratatur amico,
Ergò prolixo fundo jam pectore vota.
Ulterius vegetis Tu præſis viribus amplo
Augendo ſtudio noſtro; ſic facta benigna,

Ante diu cecinit Tua quæ jam, fama ſonora
Perget ferre magis poſtrema ad tempora mundi.

Paucis his propter Oologiam editam gratulari Dno. Autori, eidemque pro aliis ſimilibus eruditis laboribus abſolvendis ſanitatem & alia quævis proſpera precari voluit.

JACOBUS Wolff/ Phil. & Medic. D.
Prof. Publ. Jenenſ. ut & Acad. Leopold. Imper. Curioſ. Adjunctus.

NOn ulli, aut tantum paucis, GARMANNE, dederunt,
Dî dona, quæ ſolus tenes,
Hiſque unus meritò noſtra hac ætate ſuperbis,
Minora ut inter ſidera
Cynthia, ubi junctis illuxit cornubus alba,
Silvasque luſtrat invias.
Hinc etiam medica præcellis Apollinis arte,
Qvam nobili illuſtras ſtylo.
Scriptaque perpetuo, fugitivi neſcia ſecli,
Edis, fremente Livido.
Ut taceam reliquas divinæ Palladis artes,
Qveis Pectus excultum Tuum.
Qvod ſi carminibus, queis præſtas, hoc quoque jungo,
APOLLO CUR NON SIS MIHI?
En! paris ovum, Ovo, Pollux, prognatus eodem,
Lucina præſtò ſit favens!
Mox doctos nitido de ovo ipſe videbis ovantes,
Excludet ovum ævum Tibi.

Excellentiſſimo GARMANNO
ex edita Oologia
Ovationem togatam ab Orbe erudito decernendam,
haud vanè auguratur.

DAVID LICHTENHAHN, D.

CHRISTI FORTUNANTE GRATIA!

DISSERTATIO I.

De

Ovo Myſtico, Mythico, Magico, Mechanico, Medico, Spagyrico, Magirico, Pharmaceutico.

SUMMARIA.

1. OVi Etymologia. 2. Eidus ab Ei ſecundum Goropium. 3. Ovi varia acceptio. 4. Ovum Ægyptiorum Myſticum. 5. Orphei carmina. 6. Orphei celebres duo, unus Thrax. 7. Alter Pſeudo Orpheus Onomacritus. 8. Orphici libri. 9. ὀρφικὸν ὠόν. *10. Productio ovi Orphici. 11. Stoicorum de Mundi æternitate ſententia. 12. Mundus è Chao, ut pullus ex ovo. 13. Chaos qvid. 14. Spiritus in creatione ſuperficiei Aqvarum incubans. 15. Qvid ſit. 16.17. Mundus Platoni animal. 18. Spiritus & Anima Mundi qvid Platonicis & Stoicis. 19.20. Qvid Recentioribus. 21. Mundum non eſſe animatum. 22. Chaos ovum. 23. Mundus ovo comparatur. 24. Mundi figura. 25. Ovum Mythicum. 26. Poetarum Dii ex ovo. Caſtor, Pollux & Leda. 27. Duo Hamiſpharia Caſtoris & Pollucis nomine. 28. Johannes Baptiſta Goro-*

pio Caſtor, Pollux Chriſtus. 29. Ovum Ledæ è Luna. 30. Cur Caſtor & Pollux ex ovo. 31. Veterum ὑπερῷα. *32. Puteanus notatur. 33. Alia ratio. 34. Fulgentii ſententia. 35. Cupido ex ovo. 36. Æſculapius. 37. Dii Syri ex ovo. 38. Oes ſeu Oannes, Annura, Garrauda. 39. Zoroaſtris Dii ovo incluſi. 40. Dei figura apud Indos ovalis. 41. Ova Magica. 42. Ova partu excluſa. 43. An magica. 44. Poſſe eſſe naturalia. 45. Obſervationibus confirmatur. 46. Ova in Abſceſſibus. 47. Putamina ovorum è Tumoribus. 48. Ova Mechanica in Circo. 49. Scyphi figura ovali. 50. Cucurbitulæ ova Medica. 51. Ova Chymica. 52. Ova Magirica. 53. Ova perſonatorum. 54. Ovum Pharmacopolarum Aureum. 55. Corona ovata.*

§. I.

OVum à Græco ὠὸν deſcendere, non eſt dubium. Ingenii luſus reputes, qvando aliqvibus ab ἄω ſpiro, qvod plenum ſit Spiritu; aut ab ἄω ſplendeo, qvod candicet, aut ab οἶον ſolitariũ, qvod una excluſione unum edatur, *qvod probat Caſp. Schwenckfeld. (Aviar. Sileſ. p. 174.)* aut qvia ſingularia pariat, *qvod arriſit Aqvapendenti (part. 2. de format. ov. & pulli c. 2. p. 19.)* derivatur. Nec *Papiæ* placet alluſio, qvando ova qvaſi uvida dixit, nec *vetus Vocabularium* qvod ovi Originem ab uva deducit, eò qvod humidum ſicut uva; ſicut uva exterius ſicca eſt & inte-

interius uvida & humida; ſic ovum exterius ſiccum eſt, & interius humidum. Videatur (*in Lexico voc. ovum*) *Martinius.* Egregia vero illa ratio, ſed Vocabulario, qvi ovariū nunqvàm vidit, non indigna. Ova (in ovario) cohærere ad Speciem uvæ ſcripſit, ipſa αὐτοψία id confirmante, olim *Ariſt.* (*l.3. d. gener. animal. c.8. p.1291.*) Inde partem illam cui in Ovario vitelli racematim appenſi Botrum ſeu Racemum primus (*Hieron. Fabricius part.1. tr. d. format. ovi & pulli c.1. p.2.*) & poſt hunc *Guilhelm. Harveus* (*Exerc. d. generat. anim. 3. p.9. & alibi paſſim*) vocavit, qvia uvarum racemo qvam ſimillima eſt. *Honorat. Fabri* (*l.5. d. gener. animal. propoſ. 12. p.149.*) Sicuti etenim in racemo uvæ ſeu acini tum majores, tum minimi ſinguli ſuo pediculo appenſi; ſic in propoſito vitellorum racemo videre eſt.

§. 2.

Joh. Goropius Becanus (*l.4. Hermathen. p.84.*) Eidus ab Ei derivat, qvod Luna poſt dichotomiam ſeu dimidium plenitudinis abſolutum ex altera parte ad ovalem curvitatē turgeſcat, intumeſcendi finem tum factura, cum plenum ſuum orbem compleverit. Sed occurrit qvod riſum mihi movet, (*pergit Goropius. c. l. p.85.*) Arbitror enim Cimmerios hac, qva indicavi, ratione non ſolum Idus bono nomine ab ovo & tumoris auctu nuncupaſſe; ſed propterea etiam ovum obtuliſſe: cujus tam exigui muneris cūm Sacerdotes pœniteret, ab ovo in ovem victimæ & nomen & ritum commutaſſe: qvandoqvidem, ut ita facerent, ipſa etiam nominum vicinitate commoveri viderentur. Neq; enim in Latino tantùm ſermone, ſed in Cimbrico etiam inter ovum & ovem magna eſt ſimilitudo: qvoniam Ei ovum, Oi ovem ſignat, à qvorum poſteriore Græci ὄϊς diphtongo diviſa; Latini interjecto Digamma ovis fecerunt: ab Ei vero ὠὸν Græci; Latini item interjecto Digamma ovum. Expendant hæc, qvos cura iſta tangit, mihi ad alia properandum.

§. 3.

Sumitur ovum in conceptu latiori, & ſtricto; illo denotat id qvod ovi forme eſt, aut, *ut cum Plinio (l. 15. c. 21.) loqvar,* ſpeciem ovatam obtinet. Hoc ovum verum, omnium corporum Semen & primordium. Si priorem ſignificationem attendas, ovum datur Myſticum, Magicum, Mechanicum, Spagyricum ſeu Philoſophicum, Medicum, Magiricum, Pharmacevticum; Si poſteriorem, Phyſicum vocatur.

§. 4.

Myſticum ovum Ægyptus excluſit, ut enim olim convivia ſua ab ovo ordiebantur Romani, (*ut eſt apud Horat. l. 1. Satyr. 3. v. 6. Eilhard. Lub. Paraphr. in h. l. Alex. ab Alexandr. l. 3. Genial. Dier. c. 11. f. 138. & l. 5. c. 21. f. 295. Juſt. Lipſium l. 3. Antiq. lect. c. 1. Joh. â WouWern. Animadv. in Petron. p. 398. Heinric. Kiping. l. 4. Antiqv. Roman. c. 3. p. 458.*) ita ab ovo Mundi primordia ducere Ægyptiis placuit Sacerdotibus. Inde Mundi opificem Deum (Kneph vocabant, aut Emepht) delineaturi, ovum evomentem pinxerunt. *Evolv. Gerh. Joh. Voſſius (l. 1. de Orig. & Progr. Idolol. c. 5. p. 34.) Joh. Heinric. Urſin. (Theol. Symbol. c. 9. p. 30.) Planius Euſebius: (l. 3. d. Præp. Evang. c. 8. p. m. 66.)* Ægyptiorum Deorum, *ſcribit*, Symbola talia ſunt, Creatorem Eneph appellant, cujus Imaginem in forma hominis faciunt colore cœruleo Zonam tenentem & Sceptrum, cujus in capite pennam ponunt, ſignificantes difficilem inventu eſſe Creatorem, & nemini conſpicuum, vivificum etiam & intelligibili motu circulatum. Hic Deus ab ore ovum producit, â qvo naſcitur Deus, qvem Ægyptii Phta, Græci Vulcanum, vocant, ſignificatur autem hujusmodi Mundus. Idem Zoroaſtrem & Hermetem docuiſſe *Joh. Marcus Marci (p. 1. Phil. vet. ſ. 7. p. 52. & p. 5. ſ. 1. p. 475.)* innuit. Evomuit ovum; dixit namq;, & facta ſunt. Addit *Joh. Chriſtoph. Steebius (Cœl. Sephirot. c. 5. ſ. 2. n. 985. p. 91.)* Pingebant ovum ex ore producentem, non tantùm, qvod ſingulari adhibitâ cura animalia pro-

produxerit, ſed qvod humano generi Spiritum oris inflaverit. Ovum inſuper denotat rerum novam generationem, qvam qvinto die animalium Creatione primitus fundatam fuiſſe, patet, qvod ea, qvæ qvatuor diebus præcedentibus producta fuerunt, ſemper eandem faciem & conſtantem harmoniæ ordinem conſervent.

§. 5.

Hæc Ægyptiorum Myſteria ad Thraces, à Thracibus ad Græcos transtuliſſe fertur *Joh. Goropio Becano* (*l. 7. Orig. Antwerp. p. 726.*) Orpheus, Philoſophus & Magus antiqviſſimus & exercitatiſſimus *Caſpar. Barthio* (*l. 57. Adverſ. c. 17. col. 2714.*) vocatus. Hic verò an inter Philoſophos locum habere poſſit dubitat *Diog. Laërtius* (*d. Vit. Philoſ. Proem. p. 4.*) utpote qvod Diis vitia, qvæ rarò à turpibus qvibusq; & flagitioſis hominibus geruntur, aſcripſerit. Ipſum præterea Orpheum nunqvam in rerum Natura extitiſſe Lectoribus ſuis perſvadere conatur *doctisſimus. Sam. Bochard.* (*Epiſt. Num Æneas unqvam fuerit in Italia p. 6.*) ejusq; Carmina eſſe Onomacriti cujusdam Athenienſis, qvi ſub Piſiſtrato Olympiade circiter qvinqvageſima ſexta, aut, *ſecundum Joh. Hofmannum* (*p. 2. Lex. Univ. p. 59.*) ſexageſima floruerit, annis ante natum Chriſtum 560. ex *Tatiano* (*Orat. cont. Græc.*) *& Clemente Alexandrino* (*l. 1. Stromat.*) ſe didiciſſe *laudatus Bochard.* confirmat (*l. 1. Canaan c. 39. p. 735.*) *Add. Hermann. Conring.* (*l. 1. Med. Hermet. c. 11. p. 106.*) & illum qvi περὶ λιθῶν commentatus eſt ſub Cæſaribus Romanis vixiſſe ſuſpicatur *Gerh. Joh. Vosſius* (*l. 4. d. Orig. & Progr. Idolol. c. 13. p. 1323.*) Indigitamentorum librum veterem qvidem, ſed ne per ſomnium Orphei eſſe pronunciat *Barthius* (*in 1. Thebaid. Stat. v. 720. p. 247.*) nec hymnos, qvi nobis in delitiis, & qvos Picus (*referente Bodino l. 1. Dæmon. c. 3. p. m. 97.*) easdẽ obtinere virtutes in Magia, qvales Pſalmi Davidis in Cabala, judicavit, genuinos iterum *Barthius* (*c. l. ad v. 90. p. 29.*) dictitat, qvi tamen illos alibi inter genuinos recenſuit. (*l. 57. Adverſ. c. 17. col. 2714.*)

§. 6.

Egò verò *Voſſio Bochardo eorumq; Aſſeclis* aſſentiri neutiqvam poſſum, cum tot fide dignorum virorum relationes contrarium evincant. Interim qvemadmodum in Ægypto plurimi fuere Thot, in Scythia plurimi Abarides, in Phrygia plurimi Midæ, in Gallia plurimi Druides; ita in Thracia plurimi Orphei, accurate id monente (*l. 9. Orig. Antwerp. p. 1053.*) *Joh. Goropio Becano.* Aliqvos recenſuit *Suidas,* ſed hos unum eundemq; hominem ſignare decernit *P. Lambecius* (*l. 2. Prodr. Literar. c. 4. p. 179.*) Duo a. inter hos celebres extiterunt, Argonauta unus, qvi triginta circiter annos ſecundum *Voſſii* (*l. 1. de Orig. & Progr. Idolol. c. 10. p. 784.*) computũ, ante excidium Trojanum vixit. Et hic ille Thrax fuit, qvem tamen cum Amphione Ægyptium proclamat *Pauſanias* (*l. 6.*) In Ægyptum hunc profectum narrat *Diodor. Sicul.* (*l. 4. Biblioth. Hiſtor. c. 26.*) Notanda qvæ *ex Artapano* habet *Euſebius* (*l. 9. de Præp. Evang. c. 3.*) *Artapanus* Merim Chenephrim Ægyptiorum Regis filiam, *ait*, puerum, qvoniam ipſa non pareret, Judæum adoptaſſe, qvem Judæi Moſem, Græci Muſæum appellant, cujus doctrina multa Orpheus didicit. Verum ſi Orpheus pleroſq; myſteriorum ritus, (qvales qvidem Gentiles obſervant) & Orgia Bacchi, deq; inferis Mythologiam apportavit, qvod iterum *Diodor. Siculus* (*l. 1. c. 96.*) retulit, dubito, qvod eadem ex ore Moyſis hauſerit, comprimis cum Moſes in Ægyptiorum doctrina inſtitutus & educatus qvidem legatur, nuſpiam verò qvod eandem publicè aut privatim profeſſus fuerit. Videat interim *Joh. Gorop. Becanus* qvomodo probet Orpheum â Treribus Cimmeriæ populis, locorum occupatione Thracibus, Homeri ætatem aliqvot ſeculis antevertentibus, (*Vid. Id. l. 8. c. l. p. 813.*) de Cimbrorum diſciplina acceptas fabulas Pelasgis tradidiſſe (*l. 1. p. 114.*) & Eundem Orphica è lingva Cimbrica vernacula, qva uſus, (*l. 7. p. 724.*) hauſiſſe (*ibid. p. 797.*) Tranſtulit, ut rectius è *Theodoreto* (*Orat. I. contra Græcos*)

cos) *Barthius* (*in 2. Thebaid. Stat. v. 74. p. 297.*) Bacchanaliorum ſeu Dionyſiorum myſteria cum omni eorum notiſſima impudicitia ex Ægyptiorum aliorumq; nationum ſacris, eaq; in Bacchica commutavit. Non refragabor interim *Becano* (*l. 9. p. 975.*) aſſerenti: Omnia Orphicæ Poëſeos myſteria ad inanes nugas & ineptiſſimas fabulas, & ad impiam & deſpuendam tractas fuiſſe ſuperſtitionem. Et hoc ipſo id apud Græcos conſecutus Orpheus, ut divino mactaretur honore, qvod *Tertullianus* (*l. de Anim. c. n.*) prodidit.

§. 7.

Alter Orpheus Poëta *Vosſio* (*c. l.*) dicitur, qvem verius Pſeudo-Orpheum diceres, cum ipſi Onomacriti nomen ſit, de cujus ætate modo §. 5. qvædam ſparſi. Sed cur hunc Poetam *Vosſius*? ſcilicet ut vetuſtiſſimum Orpheum aut non fuiſſe, aut ſaltem nihil ſcripſiſſe, cum præter carmina nil ex operibus ejus ſuperſit, Lectori perſvaderet.

§. 8.

Sed multa ſunt, qvæ decreto Vosſiano palmam faciunt dubiam, comprimis autoritates, qvas contra hoc allegat celeberrimus *Ol. Borrichius* (*Diſſert. Acad. de Poet. 1. §. 16. p. 7.*) & qvæ *Idem contra Conringium* (*l. 1. Hermet. Ægypt. c. 7. §. 8. p. 166.*) diſputat. Sanè non diffitetur *Vosſius Arnobium* (*l. 5. adv. Gentes*) provocare ad Orphei libros. Orpheum primum Gemmarum Scriptorem vocat *Joh. Lud. Ganſius* (*Hiſt. Corall. c. 1. p. 21.*) qvamvis illos verſus non eſſe ejusmodi, qvi nos multùm juvare poſſint, *Georg. Agricola* (*de nat. foſſil. Epiſt. dedic. p. 565.*) aſſerat. Hunc de Herbis curioſius etiam ſcripſiſſe *Plinius* (*l. 25. c. 1.*) autor eſt. Plura Orphei Opuſcula allegant *Otto Heurnius* (*l. 2. Philoſ. Barbar. c. 26. p. 237.*) & *Joh. Hofmann* (*p. 2. Lex. Univerſ. p. 69.*) Et qvamvis *Ariſtoteles* (*l. 2. d. gen. animal. c. 1. p. 1285. & l. 1. d. Anim. c. 5. t. 84. p. 1384.*) qvod etiam *Cicero* (*l. 1. de Nat. Deor. ſ. 22. b.*) & *Barthius* (*l. 55. Adverſ. c. 5. col. 2592.*) advertit, inter Orphei,

& Or-

& Orphica Carmina, Orphei decreta continentia, diſtingvere videatur, qvalia Cerdonem Pythagoricum & modo nominatum Onomacritum cum aliis ſcripſiſſe *Sextus Empiricus & Clemens Alexandrinus* notarunt, ut adeò idem Orpheo apud Græcos qvod (*notante id ex Jamblicho Joh. Gorop. Becano l. 9. p. 1053.*) Hermeti Trismegiſto contigerit, qvicqvid enim in Ægypto librorum edebatur, qvibus Sacrorum interpretatio continebatur, Thot ſeu Mercurius Trismegiſtus compoſuiſſe dicebatur; id tamen contra *Voſſium* ſimul patet, & Orpheum olim fuiſſe, & illum carmina qvædam de Myſteriis & rebus naturalibus compoſuiſſe, ad qvorum dogmata ſuppoſititia illa fuerint elaborata, & adeò fruſtra inter Orpheum Argonautam & Poëtam diſtingvi.

§. 9.

Præfari libuit iſta de Orpheo anteqvàm ὀρφικὸν ὠὸν evolverem, ut de hujus antiqvitate Lectori conſtaret. Dicitur autem ὀρφικὸν ὠὸν, aut qvod Orpheus primus illud invenerit, aut ab Ægyptiis acceptum primus in Thracia & Græcia propalaverit, qvod ipſum Orphicorum Myſtericorum Epoptis ventilandum & decernendum qvidem relinqvo. Πρωτόγονον & id ὠὸν, primigenium ovum vocant, qvod judicante *Jacobo Tollio* (*Fortuit. c. 18. p. 139.*) primùm ex omni creaturarum numero ex igne patre & aqva matre genitum, ut creaturarum materia exiſteret.

§. 10.

De productione hujus Ovi ex *Athenagora* (*in legat. pro Chriſtian.*) aliter *Attica Puteani Svada* (*Orat. 20. p. 394.*) diſſeruit: Rerum omnium principium, *inqvit*, extitit Aqva, & ex ea ſubſidente Ithys. His parentibus Draco natus, qvi capite Leonem, medio corpore faciem ſeu Herculis, ſeu Chroni, repræſentabat. Ab Hercule deinde immenſæ magnitudinis ovum prodiit, id à parente dum fovetur attritum in duas partes diſſiliit, & ſuperior qvidem Cœli; inferior, qvæ delapſa erat, Terræ forma donata & perfecta.

Idem igitur, prout *Proclus (in Tim. Platon.)* explicat, erit τὸ πλάτωνος ὄν, καὶ Ορφικὸν ᾠόν Platonis Ens, & Orphicum Ovum. (*Vid. Hadrian. Jun. l. 3. Animadv. c. 4. p. 117.*)

§. 11.

Non incongruum fortè erit *Viri verè doctiſſimi Dn. Jacobi Thomaſii* de Stoicorum circa mundi æternitaté ſententiã (*Diſſert. 2. ad Exerc. de Stoica Mund. exuſt. §. 12. ſq. p. 31.*) eleganti ſtylo & penicillo delineatam inſerere. Ad Stoicos ubi perventum eſt, *inqvit*, comminiſcendum aliqvid, qvod Deum & materiam ſub uno, non duobus, repræſentet. Finge ovum absq; principio æternum, cujus materiam undiqvaq; pervagata δύναμις animet πλαστική: ſed qvod ipſum ſe vi hujus δυνάμεως formet in avem, qvæ circulis æternis ruditatem ſuam jam reſumat, jam exuat, aliàs ovum, aliàs avis, perq; has vices perennet. Tale qvid enim eſt Mundus Stoicorum, cui ipſo pro corpore materiam dant, pro anima Deum comprehendentem λόγους σπερματικούς. Ovum hoc, an avem vetuſtiorem velint Stoici, non definio. Autumo tamen rationibus ipſorum magis conſentaneum fore, ut Mundus ovum fuerit prius, qvâm avis. Nam qvæ *apud Plutarchum (l. 2. Sympoſ. qv. 3. p. m. 190.) & Macrobium (l. 7. Saturnal. c. 16. p. m. 547.)* contra ovum afferuntur cauſæ pro gallina ſunt ejusmodi, ut diſtinctione ſolvi poſſe videantur inter avem, qvæ alias â ſe gignit, & qvæ ipſa ſe reſeminat, qvalis omnino Stoicorum ille Phœnix eſt, qvi per ovi & avis qvaſi mortis ac vitæ alternas vices ævum extendit.

§. 12.

Spectant huc iſta qvando qvidam Recentiorum Mundum è Chao, ut ex ovo pullum, cœpiſſe aſſerunt, qvæ ſententia eſt *Joh. Marci (ſupra §. 4. citatis locis) & ejus ſeqvacis Hieronymi Hirnhaimi (Typh. Gen. Hum. c. 13. n. 3. p. 148.)* Sicut enim in ſemine vel ovo idealiter, *judicat Idem*, in potentia latet animal, donec ideæ incipi-

ant evolvi, & Cor, Cerebrum, Hepar, idealiter tantùm ſeu potentia in materia fuerunt, donec Sol, Luna, Stellæ, Vegetabilia & Animantia ex ſuis, qvæq; ideis verbo Dei evoluta, prodire cœperunt. Qvæ ipſa tamen ſententia an recipienda integra, (*Diſſ. 2. §. 46.*) definitur. Ovum idcircò *Thomaſio* (*de Stoic. mund. exuſt. Differt. 8. §. 4. p. 77.*) ingenioſè Chaos Gallinæ nuncupatur.

§. 13.

Chaos illud diverſimodè deſcribitur à Poëtis, Philoſophis & Theologis. Inter Poëtas hujus meminit *Heſiodus* (*Theogon. v. 115.*)

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ',

qvod ita *Boninus Mombritius* reddidit:

Principio confuſa Chaos, ſine imagine moles,
Extitit.

qvem Verſum etiam (*l. 4. Phyſ. c. 1.*) allegavit *Ariſtoteles*, pluribus verò expreſſit (*l. 1. Metamorph. v. 6. ſq.*) *Ovidius*. Secutus *Ovidius Heraclidem Ponticum* (*in Allegoriis Homericis*) dicitur *Barthio* (*l. 40. Adverſar. c. 3. col. 1798.*) Ex *Apollodori Epicurei* (*l. de vitâ Epicuri*) retulit (*l. 10. d. vit. Philoſ. p. m. 528.*) *Laërtius* Epicurum ad Philoſophiam ſe contuliſſe Grammaticos inſectantem & Sophiſtas; qvod percontanti qvidnam apud Heſiodum Chaos exponere non potuiſſent. In Chai tenebris ante mundum conditum habitâſſe Deum *Burcardus Pylades Brixianus* (*l. 1. Deor. Genealog. v. 16.*) aſſerit, qvam opinionem â Stoicis hauſiſſe videtur, qvi materiæ primæ includebant Deum, qvod pluribus *Lipſius* (*l. 3. Phyſic. Stoic. Diſſert. 4. p. 839. & l. 2. Diſſert. 2. p. 897.*) cum *Thomaſio* (*c. l.*) demonſtravit. Chaos Stoicis nil aliud fuiſſe qvam aqvam â fuſione (ἀπὸ τοῦ χέειν) ſic dictam cenſuit (*l. 1. de Meteor. Microcoſm. c. 18. p. 39.*) *Stephanus Rodericus Caſtrenſis*. Idq; ad mentem *Plutarchi* (*l. utrum aqva an ignis ſit utilior. f. m. 129. b.*) Græcos Veteres per χάος aëra ſignificaſſe, ſive omne id qvod inter ſidera terrasq; eſt interjectum *Gerh. Joh. Voſſius*

(*l. 1.*

(*l.2. de Orig. & Progreſſ. Idolol. c. 25. p. 426.*) innuit, qvibus ipſe *Paracelſus* (*l.1. Philoſ. t. 2. 7. & 10. p. 22. & l.1. de Morb. Metallar. c.2. p.643. ſq.*) ſubſcripſit. Chaos etiam videtur innuiſſe *Hippocrates noſter* (*l. de Carnibus p. 29.*) qvando ſeparationem ætheris, aëris, aqvæ & terræ deſcribit, & ante hanc ſeparationem omnia perturbata extitiſſe pronunciat. *Plato* (*in Timæo*) Deum aſſumſiſſe non tranqvillum & qvietum, ſed temerè agitatum & fluitans, idq́; ex inordinata jactatione redegiſſe in ordinem, credidit. Accepit igitur, non fecit, commentatur *Scaliger* (*Exerc. 61. ſ. 3. p. 238.*) in qvo peſſimam ſeqvutus eſt eorum opinionem, qvi Chaos rerum principium increatum arbitrabantur. Ὕλη Ariſtotelico-Platonica qvid ſit in Phyſicis docetur; hæc verò an Chaos vocanda? Neutiqvam, rectè ita judicante *Libavio* (*l.1. Hexaem. p. 93.*) ex ea comprimis ratione, qvod materia illa ἄμορφος planè dicatur, & ideò *Platoni* (*in Timæo,*) πανδεχὲς cum Chaos non absq́; omni forma fuerit, ſed ſaltem completa, *ut Meisnerus* (*p.1. Philoſ. Sobr. ſ. 3. qv.3. p. 510.*) aut ut elegantius & magis ſobriè *B. Calovius* (*Tom.3. Syſtem. Theolog. Artic. 5. c. 2. qv. 3. p. 1015.*) Chaos non fuit omnis formæ expers, etſi diſtinctior forma poſteà acceſſerit. Nec maſſa illa ſimplex qvid fuit, ut materia prima, ſed ex cœlo, aqva & terra, qvorum appendiculam aërem, qvia tenebrarum mentio fit ſuper faciem abyſſi, *B. Scherzerus* (*Syntagm. Theol. Loc.3. §. 10. p. 90.*) fecit, compoſita, ut non immeritò *in Timplerum* (*Phyſ. general. c. 1. qv. 9. p. 35.*) materiam primam cum Chao confundentem invehatur *Wendelinus* (*Contempl. Phyſ. ſ. 1. p. 1. c. 11. n. 8. p. 89.*) Et qvi congruè Mundus ex Chao tanqvàm pullus ex ovo prodiiſſe cenſeri poterit, ſi Chaos illud, tanqvam qvid abſtractum, potentiale & informe concipiatur, cum forma pulli in ovo lateat? Aſſeruit ergò *Verulamius* (*in Parmenid. Teleſ. & Democrit. Philoſ. p. 653.*) antiqvos ante *Platonem & Ariſtotelem* propoſuiſſe materiam primam (qvalis rerum principium eſſe poteſt) formatam & dotatam non

 abs-

abstractam potentiam informem. Addo inſuper, tanqvam benè notandum, ſecundum ea, *qvæ Diſſ. 2. §. 46. è Libavio (l. c. n. 46. p. 10.)* diſſerui, in illo Chao potentia non Naturæ, ſed Creationis, (qvod Ethnicos latuit,) fuiſſe res, poſteà ſuis formis & materiis ultimis diſtinctas ſingularesq́; factas.

§. 14.

Placito huic ortum dediſſe, ex ipſis ſacris literis acceptum dogma, *laudatus Urſinus (c. l. c. 3. p. 242.)* ſuſpicatur. Qvando namq́; Spiritus Dei incubaſſe dicitur ſuperficiei aqvarum (aqvas ſupra cœleſtes interpretatur *Joh. Chriſtoph. Steebius Cœl. Sephirot. (c. 1. ſ. 2. n. 833. p. 33.)* qvas tamen tunc temporis à terra Summus Conditor non ſeparaverat, metaphoram ab avibus incubatu fotuq́; animantibus in voce Merachephet latitare Theologi interpretes docent, qvod *Urſinus Dietericus, & Oſiander (c. c. l. l.)* pluribus exponunt. Adde ſi placet *Ludov. de Beauſort (l. 4. Coſmop. divin. p. 18.) & Andr. Libav. (l. 1. Hexaëm. ſ. 13. p. 61.)* Spiritum Dei aqvas ſuperiores ſingulari fotu fœcundaſſe & veluti lacteas feciſſe, autor eſt *Joh. Chriſtoph. Steebius (l. l.)* Exinde ſupra cœleſtes aqvæ ipſi ſunt ubera, per qvæ lac luminoſum, nectar & ambroſia cœleſtis in inferiora defluit.

§. 15.

Qvid ſit Spiritus ille Dei, varias apud varios offendimus ſententias. Ignem interpretatur *Franciſcus Valleſius (de Sacr. Philoſ. c. 1. p. 28.) Henr. Nollius (l. 1. Phyſ. Hermet. c. 3. p. 97.) Comier (ap. Nic. de Blegny Ann. 3. Zod. Med. Gall. menſ. Jun. p. 82.)* Calorem genitalem *Jacob. Tollius (Fortuit. c. 11. p. 87. & c. 18. p. 139.)* Aërem *Libavius (c. l. p. 15. & 71.)* Ventum *Guttman. (Offenbahrung Göttl. Majeſtæt l. 11. qv. 59. p. 459.)* Spiritum, de qvo venti conſtiterunt, libratorem & afflatorem & animatorem univerſitatis *Tertullianus (l. adv. Hermog.*

mog. p. 355.) Animàm Mundi, Lucem Naturæ, aut Naturam ipſam *Henr. Khunrath.* (*Confeſſ. c. 6. p. 198.*) Spiritum Mercurialem ſeu Lapidem Philoſophorum, *Paracelſus* (*Apoc. Hermet. p. 670.*) Spiritum mundi univerſalem vel aſtralem, qvi omnem hujus univerſi materiam informat, & pro Phantaſiæ ſuæ incidentiis omnia in omnibus operatur, *modò citatus Nollius,* (*tract. Hermet. 3. p. 739*) *Joh. Amoſ. Comen. Addend. ad Phyſ. reform. p. 218. ſeq.*) *Chriſt. Lang.* (*Miſcell. Curioſ. 30. p. 88.*) *Joh. Ludov. Hannemann.* (*tr. Ruach. univ. Mundo reſtit. §. 10. p. 23. & ſeq.*) Sed rectiùs hunc Spiritum non creaturam, ſed Creatorem vocavit *Arnold. Bachim. Demſton.* (*Enchiret. Panſoph. p. 2. th. 20. p. 14.*) Spiritum, cui nomen æternus (*tr. Elementa n. 3. p. 42.*) *Helmont,* adeoq; ipſum Spiritum Sanctum, amoris nomine ab Ægyptiis *ex mente A. Kircheri* (*Prodrom. Copt. c. 9. p. 265.*) expreſſum, prout hunc locum, egregiè vindicat & illuſtrat, *Theologus laborioſisſimus D. Joh. Adam Oſiander* (*Comment. in Geneſ. c. 1. qv. 4. p. 6. & 7.*) & *celeberrimus Joh. Conrad. Dieteric.* (*p. 1. Antiqv. Biblic. p. 71.*) Hinc nonnulli, qvos citat *B. D. Calovius* (*T. 3. Syſt. Theol. art. 5. qv. 6. p. 825.*) *Platonem* per animam mundi idem intellexiſſe putarunt, qvod Chriſtiani per Spiritum ſanctum. Et *Platonis* Philoſophiam non ſolum Ægyptiam, ſed & Chemicam & Hebraicam judicavit *Willielm. Daviſſonius* (*prodr. comment. in Med. Petr. Severini c. 1. p. 30. & 35.*) ſubjungens *Numenii Pythagorici, è Clemente Alexandrino,* dicterium: Qvid eſt Plato, niſi Moyſes atticè loqvens? & Platonicos paucis mutatis Chriſtianos fieri ſuperiori ſeculo multi, *teſte Fernelio* (*l. 1. de abd. rer. cauſ. c. 9. p. 52.*) opinabantur.

§. 16.

Ex ovo animal incubatu avis, aut caloris fotu excluditur, qvid ergò miramur qvod Mundum animal nuncuparunt, ex antiqvioribus Philoſophi? Ex ratione probabili Mundum ani-

mal intelligens revera divina providentia conſtitutum definivit *Plato, Philoſophorum Deus*, (*in Timæo p. m. 527.*) Qvod animal ſit mundus & rationale, & animatum & intelligens aſſeruerunt & *Chryſippus* & *Apollodorus* & *Poſidonius*, ut eſt *apud Laertium* (*l. 7. in Zenone p. 525.*) & omnes Stoici. Noſtro Seculo *Joh. Keplerus Mathematicus Cæſareus* (*referente Fromondo l. 5. Meteorol. art. 8. p. 303.*) Mundum inferiorem ingens animal vocabat, qvod immanibus pulmonum follibus marinas aqvas per intervalla viſceribus inſpiret, reſpiretq́;. *Add. Solinum* (*Polyhiſtor. c. 36. p. 111.*)

§. 17.

Movet me illud *Kepleri* effatum, ut de partibus tanti animalis ſim ſollicitus. Recenſuit illas *Plutarchus* (*l. de facie in orbe Lunæ p. 445.*) *& ex illo Lipſius* (*l. 2. Phyſiolog. Stoic. Diſſ. 10. p. 920.*) Stellæ, *inqvit*, tanqvam luciferi oculi in facie univerſi inſertæ circumferuntur. Sol autem qvi cordis habet vim, ex ſeſe calores & lucem tanqvam ſangvinem diffundit. Terra & mari Natura (Mundum vertit *Lipſius*) utitur, ſicut animal ventriculo & veſica. Luna Soli & Terræ interpoſita, ſicut jecur inter cor & ventriculum aut aliud molle viſcus inſitum: calorem hac demittit, & qvæ hinc exhalant coqvendo, purgandoq; ad ſe extollit. Refertur huc *Lipſio* Sarapis Deus Ægyptiorum maximus, qvi *apud Macrobium* (*l. 1. Saturnal. c. 20. p. 254.*)

Sum Deus & talis qvalem deſcribam ego me ipſe,
Cœli arx mî Caput eſt, ventrem dico mare magnū,
Terra pedes; aures ponuntur in æthere puro,
Longè ſplendentes oculos dic lampada Solis.

In eandem ſententiam *apud Ludov. de Beaufort* (*in Præfat. Coſmop.*) *Poëta:*

Cæleſtis Mundus caput eſt, mare, venter; opacum,
Terra pedes, uterusq́; vagantur in aëre ſummo
Aures; lux oculi Solis ſplendentis imago.

§. 18. Eni-

§. 18.

Enixa eſt eadem opinio Animam ſeu Spiritum Mundi mirabilem illum (*ſecundum Hirnhaim Typh. gen. hum. c. 16. p. 167.*) Phantaſtam. Νῦν vocabat *Anaxagoras*, Spiritum & mentem *Cicero & Virgilius*, & anguis Hieroglyphicum ejus, (*teſte Johanne Pierio Valeriano l. 14. Hieroglyph. c. 13. p. 171.*) Ægyptiis erat. Hoc autem de anima Mundi decretum *Plato à Pythagora, ab Aglaophemo Pythagoras, Aglaophemus ab Orpheo, Orpheus à Triſmegiſto* accepit (*Dieteric. Antiqvit. Biblic. p. 70.*) Exoſculantur & illud Stoici, ejusq; amor etiam noſtri temporis cœpit Philoſophos & Chemicos. *Ariſtoteles* qvidem animam mundi nunqvam admiſit, qvodammodò tamen animæ eſſe plena omnia (*3. d. gen. animal. c. 11. p. 1298. & alibi*) Ipſi viſum. In ejus verò deſcriptione variant æqvè Veteres ac Recentiores. (*vid. Joh. Fr. Picus Mirandula, l. 1. Exam. vanit. Doctr. Gent. c. 11. f. 18. a.*) Platonici & Stoici Animam Mundi Deum faciunt *differit (c. l. p. 921.) Lipſius*, ſed diverſo paullùm ſenſu. Plato Mundi animam ex Deo natam vult: Stoici Deum ipſam eſſe. Illi qvoq; Deum, ſed ſecundarium qvendam; nec primum & Patrem, uti Stoici. Eſt autem (*ut egregiè θαυμάσιος Thomaſius de Stoic. Mund. exuſt. Diſſert. 14. p. 178. ſq. oſtendit*) Stoicus Deus (1.) intimè inſinuatus Mundo, & qvidem (2.) per modum partis formalis, (3.) qvalis eſt anima in corpore, ita ut (4.) cum eo conſtituat unum per ſe compoſitum, alterq; alteri & (5.) nomen ſuum, & (6.) proprietates communicet. *Celeberrimus Barthius (l. 1. Adverſ. c. 8. col. 16. in illum Manilii* l. 1. *Aſtronom. v. 16. locum,*

impenſius ipſa
Scire juvat magni penitus præcordia Mundi.)

iſta commentatur: Cor ipſum mundi Deus eſt, Anima univerſi Spiritus tanti operis motor, Præcordia ſunt ſecretæ illæ & propiores magisq; divinæ corporis immenſi partes, in qvibus dignior ſedes omnipotentiæ oſtendendæ, Sapientiæq; inexhauſtæ monſtran-

ſtrandæ. Et paulò poſt (*col. 17.*) Mundum ipſum pro Deo habebant, hoc eſt omne, qvod in univerſo eſt, corpus Dei, ipſum ſpiritum illum qvem dixi. Platonis vero Anima Mundi ſi *Sennerto* (*de Conſ. & Diſſenſ. Chem. c. Ariſt. & Galen. c. 7. p. 70.*) auſcultemus, eſt nihil aliud qvam δεσμὸς ille contrariarum rerum συναγωγὸς, omnis εὐταξίας in hoc mundo fons & principium. Addendum forſan ex *Apulejo*, (*l. d. Dogm. Platon. p. m. 378.*) Cœleſtem illam animam omnium fontem, & ſapientiſſimam virtutem eſſe genetricem, ſubſervire fabricatori Deo, & præſtò eſſe ad omnia inventa ejus. *Plotino* etiam viſi Dæmones & animæ veluti animæ mundanæ rami, ramuſculi, folia, flores, fructus, qvod *Gaſſendus* (*T. 2. op. l. 3. Ethic. c. 4. f. 849.*) obſervat. Plura è variis operosè collecta dabit *laudatus Thomaſius* (*c. l. Differt. 21. p. 249. ſq.*)

§. 19.

Recentiores, niſi & illi Platonizent, alios de anima Mundi finxere conceptus. Variam huic tribuit imaginationem *Parodoxus Paracelſus* (*T. 1. op. tr. d. peſtilit. 1. p. 333.*) & eidem certum genus ſpirituum, qvos Flagas nuncupat, aſſignat (*tract. 2. c. 1. p. 348.*) Philoſophiam deniq; de anima mundi promittit, qvæ an lucem viderit, cum in operibus *ab Huſero* editis non habeatur, ignoro. E reliqvis nemo Animam Mundi ex Deo, ſed à Deo eſſe ſtatuit, nec Deum qvendam ſecundarium, aut aſſiſtentem, qvamvis & ſint, qvi qvidem non hominis, plantarum tamen & inſectorum, cumprimis eorum qvi è plantis & animalibus generantur; animas ex anima mundi, animarum fonte, deducunt. Plant animalia hac vita vivere, & generationem æqvivocam hujus adminiculo contingere *Nuyſement* (*l. 1. de Spir. Mund. univ. c. 2. p. 13.*) profitetur. Vivæ mortis formam ſeu vitam ex hoc fonte derivat *Hauptmann.* (*Epiſt. prælim. de viv. mort. imag. p. 18.*) Inconſideratè igitur faciunt, qvi Spiritus mundi aſſertores illud dogma ex Platonicorum ſitu jam & ætate rancidis deliriis

deprom-

deprompſiſſe aſſerunt, qvod & *Goclenio* objecit *Johannes Roberti* (*in Goclen. Heavtontimorum. ſ. 24. n. 4. p. 429.*)

§. 20.

Vocant autem ſpiritum ſeu animam, qvamvis & animam à ſpiritu diſtinxerit *Plato*, cum hic ab illa proveniat, locus autem unde anima crater (*in Timæo*) ipſi nuncupetur, qvod *Daviſſonius* (*c. l. c. 5. Artic. 7. p. 201.*) obſervat, *Add.* (*c. l. §. 10. p. 250.*) *Thomaſium.* Mundi, cum *Nicolao Papinio* (*Diſſ. de pulv. Sympathet. qvæſt. 4. p. 2. p. 155.*) æthercam ſubſtantiam per univerſum mundum diffuſam, excelſa cœli, infimaq; terræ attingentem, ſimplicem inviſibilem, & ſubjectum æqvivoce appoſitum cunctis cœleſtium influxibus ad ſublunaria deferendis. Panurgum ſublunarem cum *Langelott.* (*Præfat. in Experim. circa auriſolut. Tilemann. (a) 3.*) qvo Natura utitur, tanqvam paraſtata fideliſſimo, qvandocunq; corporibus ſeu componendis ſeu reſolvendis intenta. *Add. P. I. Faber.* (*l. 1. Panchym. c. 23. p. 51.*) qvi hoc omnes res naturales, foveri, nutriri, & conſervari aſtruit. Hic cœleſtes influxus terrenis in aëre jungit, ut inde fiant generationes. (*l. 3. Panchym. c. 3. p. 386.*) Adeoq; *cenſente Macrobio* (*l. 1. in Somn. Scipion. c. 14. p. 58.*) eſt aurea illa *Homeri* catena, qvam pendere de cœlo in terras Deũ juſſiſſe commemorat. Hujus beneficio ipſi eſt totus mundus plenus vitæ, qvocirca ſi per momentum desereret Naturam, tota Natura corrueret, & in chaos primum abiret, ut iterum *Faber.* (*l. 1. Panchym. c. 19. p. 44. & c. 31. p. 67.*) Sol hujus eſt fons (*Beck. Experim. circ. rer. nat. princ. p. 309. & 322.*) & pater, (*Balduin. tr. de Aur. Aura. c. 4. p. 45.*) Luna mater, (*Beck. c. l. p. 316.*) matrix terra, (*Nuyſement. l. 2. de Spir. mund. univ. c. 4. p. 147.*) nutrices aſtra, (*Baſil. Valentin. de Lap. Philoſ. Clav. 5. p. 75.*) & primum mobile (*P. I. Faber l. 2. Panchym. c. 28. p. 146.*) à qvo deſcendit, (*id. l. 1. c. 18. p. 40.*) inde illud Chymicorum: (*ap. Lang. Diſſ. de Elix. prop. §. 31. p. 162.*) Eſt in ſuperiori ſphæra fontis vena, qvæ eſt Philoſophorum regula prima. Eſt in

 radi-

radiis ſolaribus (*Beck. c. l. p. 310.*) & aëre, cujus vera & unica laus & gloria & avicula illa Hermetis dicitur *Langio*, eſt commune omnium meteororum promtuarium, (*Fludd. T. 1. Op. tr. 2. p. 491.*) eſt in rore (*Faber. l. 3. Panchym. ſ. 1. c. 1. p. 295. Beck. c. l. p. 255.*) in aqva pluviali & nive, (*Clauder. de Tinct. univ. c. 5. p. 205.*) eſt in aqva, (*Faber. l. 1. Panch. c. 21. p. 48. & l. 4. c. 1. p. 415.*) in terra. (*Baſil. c. l.*) Plura curioſo *citati Faber, Fluddus, Langius, Beckius, Clauderus, Nuyſement, Balduinus* (*c. c. l. l.*) ſuggerent.

§. 21.

Ego qvidem, cur Mundo animam propriè dictam aſcribam, cauſas non video. Non enim corpus naturale Mundus eſt, ſed ſyſtema ſeu compages corporum naturalium ordinata. Σύϛημα ἐξ ὀρανῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τύτοις περιεχομένων φύσεων, ut habet *Autor l. d. mundo.* (*c. 2.*) Qvid aliud eſt Mundus qvam ipſa generata? judicat *Scaliger* (*Exerc. 6. ſ. 1. p. 22.*) Formam igitur internam non habet, ſed ſaltem externam, διακόσμησιν, propter qvam & κόσμος primum *à Pythagora ſecundum Plutarchum* (*l. 2. de placit. Philoſ. c. 1. ſ. m. 160. b.*) nuncupatus, & maximum & pulcherrimũ omnium rerum *Galeno* (*l. 3. d. U. P. p. 346.*) Plura *apud Scaligerum* (*c. l.*) *Sperling.* (*in Scalig. Med. 10. p. 256.*) *Calovium* (*T. 3. Syſtem. Theol. Artic. 5. qv. 6. p. 925.*) *Joh. Adam. Oſiandr.* (*Colleg. conſiderat. in dogm. Carteſ. c. 9. th. 1. p. 162.*) Hoc igitur dogma non differentium, ſed ſomniantium Philoſophorum eſſe, congruè judicavit. *I. B. du Hamel* (*l. 1. d. Conſens. vet. & nov. Philoſ. c. 4. n. 3. p. 580.*) At verò intelligens non intelligente præſtantius; nihil melius Mundo: generantur ex Mundo animantes, non adeò expers erit animi. Hæc ſi placent, efficies Mundum & diſertum, & mathematicum, & tibicinem: nam earum artium homines qvoq; ex (forſan rectiùs in) Mundo procreantur. An neceſſe eſt, ut totum univerſum intellectu vel ſenſu ſit præditum? nonne ſatis erit, ſi partes illius qvædam mentis, & rationis, & vitæ ſint compotes? Nec animam

Mundi

Mundi tanqvam Naturæ paraſtatam admitto, cum entia ſic præter neceſſitatem multiplicentur. Sed ſi talis Spiritus datur in Mundo, impropriè Mundi Spiritus judicatur, & forſan poterit dici portio ætherea, qvintum elementũ *Ariſtoteli* dictum, qvo inclinat *Papinius* (*c. l.*) & *Joh. Aſſuerus Ampſingius* (*Med. & Aſtron. Conjug. p. 117.*) qvo cum & materiam ſubtilem Carteſianam omnia, ne vacuum detur, replentem, compoſuit *Excell. Sturmius* (*Philoſ. Eclectic. Exerc. 5. §. 14. p. 261.*) Ignem etiam vocaſſe *Platonem è Timæo Locro Idem* probat (*§. 16. p. 264.*) cui gemina ex aliis adduxit *Joh. Goropius Becanus* (*l. 20. Hieroglyph. p. 150.*) Lux eſt *Kenelmo Digbæo* (*Orat. de Pulv. Sympathet. p. 83.*) Entelechia Mundi, *ex Ariſtotele* mutuato nomine, *Fabro* (*l. 1. Panchym. c. 16. p. 34.*) & *Kirchero* (*Itinerar. Exſtat. 2. Dial. 2. c. 3. p. 581.*) qvi inde ſemen Mundi deduxit, entia nulla urgente neceſſitate aucturus. Aliis demum Spiritus qvidam communis & vitalis per univerſum hunc Mundum diffuſus omnia conſervans & fovens, Cœlum cœlorum commune dictus, *vid. Sennert.* (*c. l. p. 71.*) qvod qvidem non admittit *Beccherus* (*Oedip. Chym. Tit. 1. §. 5. p. 14.*) cum unicum ſpiritum pro omni rerum vegetatione velle qværere æqvè abſurdum ſit, ac ſtatuere unam materiam pro tribus regnis. Fruſtra idcircò pronuntiavit *Daviſſonius* (*prodrom. comment. in Med. Petr. Severin. p. 184.*) *Ariſtotelem*, dum cœlo animam tribuit, Mundo denegavit, Mundum qvaſi maximum Glaucum, ſemipiſcem & ſemilapidem conſtituiſſe.

§. 22.

Celeberrimus Beccherus (*l. 1. Phyſ. Subterr. ſ. 1. c. 3. n. 2. p. 26.*) ſibi imaginabatur ſtatum cœli & globi terr-aqva-aërii in prima creatione ante productionem ſe habuiſſe ut ovum, cujus vitellus terram, albumen aqvam, cuticula aërem, & putamen cœlum, ambiens verò locus, ſeu continens ovi, Deitatem indigitabat. Qvidam in creationis principio cœlum perfectum aſtruunt, *teſte Libavio* (*l. 1. Hexaëm. ſ. 4. p. 52.*) in mediate incubuiſſe Chao

aqvæ & terræ, ut teſta ovi candido. Cum omnia animantia imò & ipſe homo ex ovis generetur, *judicat Joh. Chriſtoph. Steebius* (*Cœl. Sephirot. c. 1. ſ. 2. n. 340. p. 33.*) Mundum ex aqvis & terra productum ovo non diſſimilem fuiſſe, nec figura repugnat, nec contenta hujus ovi mundani, cum in ejus ambitu ſplendidus liqvor albumini conſimilis, in centro verò ſolidior, vitellum referens, apparuerit, atq; ex his fotu divino in admiranda animalium organa totum figuratum vivificatum & exornatum fuit.

§. 23.

Mundus etiam factus ovum dicebatur Antiqvis. Cœlum eſt teſta (*inqvit in Logiſtorico Varro,*) vitellum terra, inter duo illa humor qvaſi in ſinum concluſus aëris, in qvo calor. Conſule initiatos ſacris Liberi Patris, (*diſſerit l. 7. Saturnal. c. 16. p. 549. Macrobius*) in qvibus hac veneratione colitur, ut ex figura tereti ac penè ſphærali atq; undiq; verſum clauſa & includente intra ſe vitam, mundi ſimulacrum vocetur. *Add. Voſſ.* (*l. 1. de Idolol. c. 5. p. 33.*) Comparationem Mundi cum Ovo habet ex Antiqvioribus *Achilles Tatius* (*in Arat. c. 4. cit. Barthio Animadv. in 8. Thebaid. Stat. p. 859.*) è Recentioribus evolvatur *Urſinus* (*P. 1. Anal. Sacr. l. 5. c. 4. p. 244.*) Ovum igitur Mundum ſeu orbem Avis nuncupare dignatus eſt *Itin. Ecſtat. 2. Dial. 2. c. 5. p. 600.*) *Athan. Kircherus.*

§. 24.

Ut ſua principia Chemica Sal, Sulphur & Mercurium in Ovo demonſtrant, ita ut albumen Ovi Mercurium, vitellus Sulphur, pelliculi & putamina Salia exhibeant, Chemici, *Vid. Grüling.* (*part. 1. Florileg. Chym. c. 1. p. 3.*) ita Elementa qvatuor apertè ſeſe in ovo manifeſtare prodiderunt, *teſte Cœlio Rhodigino* (*l. 27. lect. antiqv. c. 17. col. 1509.*) veteres Medici. Nam ſecundum illos cruſtæ modo circumjectum obductumq; areſcentis in frigore vim Naturæ præfert. Humor autem frigens humectusq; aqvam exhibet

hibet planè, ſicuti aërem, qvod ineſt ſpirituoſum calens humensq;. At in meditullio luteum fixum mediocritatem caloris obtinens, & aridioris naturæ, igni compos facilè colligitur. Nec deſunt, ſubjicit *Joh. Chryſipp.* (*de Art. Metall. Metamorph. Vol. I. Theatr. Chym. p. 41.*) qvod progrediantur, atq; ut illi faciunt, prodigioſè loqvantur & ipſum Avium Cor, qvod vitelli meditullium atq; adeò centrum tenet, qvintam Naturam appellent. Qværit igitur *apud Urſinum* (*c. l.*) *Georgius Piſides* (*in Coſmurgia v. 1205.*) cujus Jambos in elegos hos *idem* mutavit:

Qvis varias adeò Naturas clauſit in ovis
Exiguis pingens rerum elementa typis?
Aëra qvod tenue eſt, qvod flavum denotat ignem
Album undam, & terras teſtula dura refert.

Mundi igitur Simulacrum *Joh. Zwölffero* (*Pharmacop. Reg. p. 153.*) & *Frieder. Hoffmanno* (*l. 5. Clav. Schrœder. ſ. 2. p. 694.*) ovum nuncupatum. Qvæ dum recito non prætereunda mihi *Stephani Forcatuli* (*in Aviar. Jur. Civil. c. 5. n. 3. p. 15.*) videtur ſententia, qvando contra Medicorum mentem ovi luteum libentius terræ, qvam igni, confert, qvippe qvæ, ut punctum cœlorum, in medio ſphæræ ſita eſt, licet terra crocei coloris non ſit, ut eſt luteum ovi, qvia color in re minimum (*l. ſed ſi ex meis §. fina. ff. de acqviren. rer. domin.*) qvinimo, *pergit*, & terra Solis radiis illuſtrata lutea redditur, & à plerisq; ſtella ideò vocatur. Idem Antiqvis placuit, qvod *ex §. præced.* patet.

§. 25.

Sphæricam figuram Mundo communiter tribuunt cum *Plinio* (*l. 2. hiſt. nat. c. 2.*) *Chryſippus ap. Diog. Laert.* (*l. 7. in Zenone p. 523.*) & Phyſicorum & Aſtronomorum plerisq; cum qvod nobiliſſimo & capaciſſimo corpori nobiliſſima & capaciſſima debeatur figura, qvalis ſphærica, prout & illa, *docente Steebio Cœl. Sephirot. c. 1.*

ſ. 2. n. 256. p. 28.) Deo & æternitati conveniebat, qvod cœlum ſerenum concameratum appareat, & motus ſiderum ab oriente in occidentem circulariter feratur. Qvomodo in creatione â motu Dei ſuper mundi naturalis ſuperficiem circulari eundem acqviſiverit, *Fluddus* (*tr. 1. Hiſt. utriusq; Coſmi l. 2. c. 2. p. 47. & 49.*) delineare contendit. In eadem etiam figura Iuſiſſe ſapientiſſimum Conditorem ſacræ ſuæ Triadis imaginem *Kircherus* (*l. 2. Art. Magn. Luc. & Umbr. p. 1. c. 1. p. 108.*) *autor eſt.* Sed cum rationes iſtæ, (*judicante Schotto Proluſ. Iſagog. in Itinerar. Ecſtat. Kircher. §. 1. p. 21.*) rem non evincant, non defuere qvi figuram ovalem eidem tribuere auſi ſunt. Fuit in hac opinione *Sanchuniaton Berytius, antiqviſſimus rerum Phœniciæ ſcriptor, â Philone Byblio in lingvam Græcam translatus*, qvi omnem hanc rerum faciem ὁμοίως ὠῦ χήματι, ovi inſtar, effigiatam fuiſſe ſcripto prodidit. *Vid. Hadr. Jun.* (*c. l. p. 116.*) Idem de aliis Philoſophis *Plutarchus* (l. 2. *de placit. Philoſ. c. 2. f. 160. b.*) *Hiſt. Philoſ. Galeno falsò adſcripta* (*p. m. 26.*) *& Joh. Fr. Picus Mirandulæ Dominus & Concordiæ Comes* (l. 1. *Exam. Vanit. Doctr. Gent. c. 11. f. 17. b.*)

§. 26.

Myſtico ovo ſuccedit Mythicum, qvamvis & hoc ex parte myſticum appellari qveat, cum Poëtarum fabulæ præter civilem prudentiam etiam naturalis ſcientiæ pandant aulæa, *qvo de vid. Joh. Bocatius* (l. 14. *Genealog. Deor. c. 17. p. 375.*) *Natal. Comes* (l. 1. *Mythol. c. 2. p. 4.*) O. *Borrich.* (*Diſſ. de Ort. & Progr. Chem. p. 34.*) *cum aliis.* Facit huc comprimis Poëſis parabolica, cujus uſum egregiè illuſtrat *Illuſtris Verulamius* (*l. 2. de Agment. ſcient. c. 13. col. 61. ſq. & i. d. Sapientia Veterum. Conf. I. P. Fabri Hercules Pio-Chymicus & Opus Panchymicum paſſim.*) Taxat qvidem *Chryſippum, Galenus* (*l. 6. de placit. Hipp. & Plat. p. 1123.*) ſed Poëtis nimium indulgentem, eorundemq; fabulas ſcientificis demonſtrationibus poſtponentem, qvi interim egregiè (*l. 3. de U. P. c. 1. p. 347.*) Poëtis ut Poëtis, non ut Sapientibus, aliqvando qvid, exemplo *Pindari*, condonandum cenſuit.

§. 27. Deos

§. 27.

Deos ex ovo prognatos, qvod riſit (*l. 2. c. 7.*) *Plinius*, fabularum promi condi cecinerunt. Fabulam (an lepida ſit, necne, Lector judicet) narrabo:

Caſtora Pollucemq́ mihi nunc pandite Muſa,
Tyndaridas, Jovis è cœleſti ſemine natos,
Taygeti peperit qvondam hos ſub vertice Leda,
Clam conjuncta Jovi cœleſtia regna tenenti.

(*Homer. Hymn. in Jov. ex verſ. Nat. Comitis.*) Scilicet adulteriorum autor Jupiter Ledam Tyndari Regis Laconiæ conjugem cum arderet, ad dolos amatoriè converſus

In niveum deſcendit verſus olorem,

(*Manil. l. 1. Aſtron. c. 4. v. 77.*)

blandosq́ ſuſurros
In morem recinens ſuave immorientis oloris,
Capta qvibus volucrem virguncula ferret amorem,

(*Prudent.* l. 1. *in Symmach. v. 62.*)

Fecit olorinis Ledam recubare ſub alis.

(*Ovidius* l. 6. *Metamorph. v. 109.*) Clarius Helena *apud Euripidem* (*ex verſione Natalis Comitis.*)

Fama eſt enim
Qvod Jupiter volavit ad matrem meam
Leden oloris alitis forma obſitus.
Fugaq́ ficta, qvod volucris nuncia
Jovis ſit inſecuta, mox compreſſit hanc.

Ex illo congreſſu Leda ingravidata peperit ovum, è qvo poſtea Pollux & Helena prodierunt. *Ita Pauſanias* (*in Laconic.*) *Hyginus, Lucianus, Lycophronis Interpres* & omnes penè

Scri-

Scriptores qvos ſe vidiſſe commemorat *Franc. Luiſinus* (*in Art. Poët. Horat. comment. p. 1078.*) *Add. Fulgent.* (*l. 2. Mytholog. p. 147.*) Sunt qvi plura ova, *ut apud Athenæum* (*l. 2. Deipnoſoph. c. 16. p. 58.*) *Eriphus*, & qvidem duo fingunt, è qvorũ uno Caſtor & Pollux, ex altero Helena & Clytemneſtra. Reſpexit huc Horatius (*de Art. Poët. v. 147.*)

Nec gemino bellum Trojanum orditur ab Ovo.

Sed qvomodo Caſtor & Pollux ex uno ovo prodire potuerunt, qvod Pollux erat Filius Jovis & Ledæ, Caſtor autem Tindari & Ledæ? (*vid. Acron. in Art. Poët. Horat. p. 250.*) Qvi verò cum Dioſcuris Helenam ex eodem educunt ovo τρίδυμον faciunt. Sic *Auſonius* (*Epigr. 59.*)

Iſtos tergemino, naſci qvos cernis ab ovo
Patribus ambiguis, & matribus aſſere gnatos,
Hos genuit Nemeſis, ſed Leda puerpera fovit,
Tyndareus pater his & Jupiter, hic putat, hic ſcit.

E Leda & Nemeſi autem nati dicuntur ideò, qvia Leda mortua conſecrata mutato nomine, (id namq; ſolenne erat, qvod è *Lactantio l. 1. de falſ. religion. c. 21. & aliis probat Hadrian. Jun. l. 1. animadv. c. 15. p. 38.*) Nemeſis vocabatur. Fabulam aliis circumſtantiis narrat *Salmuth* (*ad Panciroll. l. 2. Tit. 2. p. 92.*)

§. 28.

Fuere qvi duo Hemiſphæria ſuperius & inferius nominibus (Caſtoris & Pollucis) intelligunt, qvod *apud Euſtathium* legi aſſeruit *Joh. Goropius Becanus* (*l. 4. Orig. Antwerp. qvi Cronia inſcribitur p. 423.*) ſed horum oratio, *ſecundum Eundem*, minus veriſimilitudinem tuetur, qvod craſſam hanc Philoſophiam ſibi ex ovo Ledæ ſorpſerint.

§. 29.

Sed nec melior tutiorq; *viri multijugæ qvidem eruditionis*

tionis ſed haud accurati judicii mihi videtur illa, utut eandem laudet *Jacob Maſenius, (Specul. imag. verit. occult. c. 24. n. 35. p. 337.)* qvam habet *(l. c. p. 422.)* & repetit *(l. 16. Hieroglyph. p. 253.)* de fabulæ Caſtoris & Pollucis è vaticiniis de Chriſto & Joh. Baptiſta ortu conjectura. Legerant, *ſcribit*, Poëtæ fortaſſis in libris Sibyllinis, aut è carminibus priſcis acceperant, duos pueros naſcituros, qvorũ alteri pater mortalis, alteri immortalis eſſet: qvorũ virtute totus mundus acciperet tranqvillitatem atq; vitam feliciſſimam. Horum uni, qvi inter nominandum ſemper præcedit, tametſi patre ſit mortali natus, Caſtor nomen erat ex ipſis Sibyllarum oraculis petitum; alter Pollux eſt vocatus, qvi Caſtorem mortuum morte ſua redemit. Et qvidem Johannes (Baptiſta), qvi Caſtor erat, pro veritate mortuus erat, ita ipſa veritas carni unita, mortem oppetiit, ut Johannem à morte liberaret. Chriſtus enim ſolos eos redemit, qvi Johannis nomine ſignificantur. Johannes enim is eſt, qvi gratiam Jovis (cur non veri Dei?) conſecutus, citra qvam nemo mortalium à morte ad vitam redibit. Sed nec finis ineptiarum, an blasphemiarum dicam? In ſacrorum adyta pedes profanos inferre pergit, priusqvam expiationibus neceſſariis ſint abluti: *Libro* namq; *9. Orig. Antwerp. (qvi & Venetica & Hyperborea inſcribitur p. 971.)* Diomedem facit Spiritum, qvi Caſtorem in utero latentem docuit generis humani Salvatorem adeſſe, & ſuper Pollucis (Chriſti) capite ſe Caſtori commonſtravit, conſilium ei Jovis exponens, dum illud auditum eſt: Hic eſt filius meus dilectus, in qvo mihi benè complacui. Et *paulo poſt (p. 975.)* Leda ſemper duo ova parit, nec ullo ſeculo parere ceſſabit, è qvorum altero ſemper excluduntur duo immortales, Pollux nimirum & Helena; ille ad æternam felicitatem; hæc ad æternam miſeriam deſtinata: duo verò mortales, qvorum alter Caſtor denominatus ad beatitudinem; altera Clytemneſtra ad perpetuam infelicitatem animum no-

 ſtrum

ſtrum præparabit. Diomedes porro perpetuus hortator aderit, conſilii divini memoriam in omnibus cogitatis dictis, factisq; ſuggerens, ut Caſtori & Polluci eqvum noſtrum ſubjugemus. Vitemus vero Helenam & Clytemneſtram, qvorum hæc gloriæ mundanæ procam notat; illa ipſum unum celat, & à capite nos ſegregat in æternum. Hæc autem diviſio felicitatis & infelicitatis in hominibus orta eſt è Leda, qvæ primi peccati, ſeu ipſius Evæ, habet ſignificationem.

§. 30.

Neocles Crotoniata ſcripto prodidit ovum è Luna in ſinum Ledæ fuiſſe delapſum. Nec ſine ratione forſan, deſcendit namq; de cœlo, ita fingunt, Jupiter, Lunam verò hic ſuas etiam egiſſe partes ferunt, qvia fœcundum proliferumq; ad prodigium usq; fuit. Dedit fabula fabulæ originem, non tantum namq; Lunam, cum reliqvis ſtellis, habitabilem qvidam Veterum fecerunt, inter qvos *Xenophanes, Pythagoras, Heraclides, Orphici*; ſed & è recentioribus *Nicolaus Cuſanus, Joh. Keplerus, Rheida, qvos citat Schottus,* (*ad Kircher: Itin. Ecſtat. Cœleſt. 1. Dial. 1. c. 2. Schol. 7. p. 92. ſq.*) & in ea deprehendi montes, flumina, ſylvas, prata, herbas & animalia putarunt. Inde etiam Teleſcopia fabricari poſſe, qvorum ope animalia iſta viſum incurrant, ſpem fecerant *Carteſius & Hoockius, & Meſtlinus prodidit*, ſe pluvias obſervaſſe in corpore lunari veſpere Dominicæ Palmarum anno 1605, (*notante id Joh. Keplero in Nunc. Sid. Galil. p. 32.*) qvod tamen pro impoſſibili habuit, *Auzutius.* (*Evolv. T. 2. p. 1. Ephemer. Erud. 2. p. 18. Add. Plutarch. l. d. Facie in Orbe Lunæ p. 462.*) Hominum habitacula & patriam etiam in Luna locarunt, Lunaresq; populos *Socrates* (*ap. Platon. in Phædone*) *deſcripſit*, qvin & ex Luna cecidiſſe hominem *Heraclides* prodidit. (*Diogen. Laert. l. 7. in vit. Empedocl. p. m. 613.*) qvam qvidem opinionem aliqvando

qvando majorem fidem conſecuturam fore ſibi perſvaſit *illuſtris Kerkring.* (*Spicileg. obſerv. anat. 11. p. 30. & obſ. 93. p. 197.*) Scripſit igitur *Herodotus Heracliptes* (*qvod notat cum Rhodigino l. 27. Antiqv. Lect. c. 17. col. 1512. Junius c. l.*) in regionibus Lunaribus fœminas, Selenitides dictas, ova parere, & iisdem incubare, ibidemq́; natos decies & qvinqvies antecellere nobis. Ergò, ut Gigantes naſcerentur, (*Subdit Puteanus c. l. p. 395.*) opus erat ovis: terræq́; filii è cœlo tamen deſcendebant. De magno ideò olim dicebatur: ἐξ ὠῦ ἐξῆλθεν, ex ovo prodiit.

§. 31.

Cum Polluce fratre & Caſtorem cum ſorore Clytemneſtra ex ovis geminis Ledæ proveniſſe ob pulchritudinem illorum fabulæ ac proverbio, (*ex mente Jac. Maſenii c. l. p. 336.*) locum dedit. Nec forſan incongruè. De pulchro *Calpurnius* (*Eclog. 6.*)

Candidus alter erat, leviq́ decentior ovo,
Et ridens oculis, crinemq́ ſimillimus auro.

Qvid ovo venuſtius pulchriusq́; ? Forma, qvæ dignitatem ſuam habet, non aſpera, non horrida, non inciſa eſt; ſed levis, teres, & veluti pumice expolita. Inde *apud Nicetam Epigrammatarium* (*l. 2. Epigr. de Calvo:*) ὠὸν ἅπας γέγονεν, ovum totus evaſit.

§. 32.

Ne recto & inoffenſo pede progrediar, ſcrupulos objicit *mellita Puteani Svada* (*c. l. p. 434.*) Græci veteres, *inqvit, ut eſt apud Athenaum* (*l. 2. Deipnoſoph. c. 17. p. 57. qvi cum Junio c. l. p. 40. Clearchum in amatoriis allegat.*) ſic ædificare cœnacula ſoliti ſunt, atq; etiam nominare: qvid niſi pulcherrimam aptisſimamq; humanis uſibus rati formam, qvæ maxime Naturam, id eſt ovum ſeqveretur? Qvare ὠὰ erant, qvæ poſtea ὑπερῷα dicta. Nec alio errore audax fabula fuit, Helenamq; ex ovo prognatam poëtico prodigio divulgavit. Ædepol decepti non minus, qvi id tra-

D 2 derent,

derent, qvam qvi crediderunt: imo vero decepti non fuere, niſi intereſſe dicas, & tantum non portento diſtingvi, ex ovo, an in ovo qvis naſcatur. Helena qvia in ovo, id eſt, in cœnaculo nata eſt, ex ovo prodiiſſe credita; & pro Tyndaro Jovem invenit patrem: Qvid? Cygnus fieri adulter debuit, & in Deo turpiſſimum crimen excuſari. *Hactenus Puteanus*, in cujus ſententiam *Junius* (*c. l.*) & *Andr. Senſtleben* (*Not. Philolog. in Phaſel. Catull. p. 69.*) propendent. Nec cœnaculum tantum, ſed & ſupremam & ſecretiorem domus partem illud nomen ſignare ex N.T. (*in Critica N.T. Sacra p. 337.*) probat *Eduardus Leigh*, qvi ex Euſtathio *ὦον* Spartanorum lingva domicilium ſeu habitationem ſignificare addit. Eo etiam ſenſu Ariſtophanem (*in Pluto a. 4. ſc. 1. ſ. m. 60.*) uſurpaſſe in propatulo eſt. *Joh. Pearſon* (*Lect. in Act. Apoſt. recenſentibus id Excell. Actorum Eruditorum Lipſienſium Collectoribus M. Jul. 1688. p. 343.*) privata Judæorum *ὑπερῷα* ſemper ſacris uſibus deſtinata fuiſſe, Danielis & Saræ *ἐν τοῖς ὑπερῴοις* orantium exemplo, comprobat, & qvod hanc ob cauſam Judæi ſapientes ſuos בבי עליה ſeu filios cœnaculi appellaverint, obſervat. Partem illam domus, qvæ Gynæconitis dicta, & apud Græcos mulierum thalamus fuit, in ſuperiori domus condignatione poſita, ut difficulter conveniri & adiri poſſent mulieres, & *ὑπερῷιον* vocatam eleganter demonſtrat *Cl. Joh. Philipp. Pfeiffer* (*l. 2. Antiqv. Græc. c. 53. p. 352.*) qvod cur fugerit *Puteanum & Ejus ſeqvaces*, miror. Ὑπερῷον dicitur pars oris ſuperior modice concava *Gorrao* (*defin. Med. p. 480.*) *ὑπερῷαι κοιλαι* oris palatum cavum *apud Hippocr.* (*l. 6. Epid. ſ. 1. t. 2. p. 256.*) leguntur.

§. 33.

An Poëtarum conceptus & intentionem exhauriat hoc commentum dubito. In ſtabulo qvi naſcitur, ex ſtabulo natus minime creditur. Et qvid portenti alet illa Helenæ in cœnaculo nativitas? Appellationem cœnaculi recipio; applicationem

nem ad partum Ledæ rejicio. Ne mireris ex ovo prodiiſſe hos hos fœtus, cygnus pater extitit, aut ſub ſpecie cygni Jupiter, in anſerem verò transmutata Leda mater *Salmuth.* (*c. l.*) Sapit hoc figmentum ingenium verè poëticum naturæ genio accommodatum, id mecum ob hoc dictum credit *Joh. Bocatius* (*l. 11. de Genealog. Deor. c. 7. p. 274.*) ne in fictione fœtus videretur à genitore disſimilis. Aves autem ova gignere conſveverunt. Ovum tale, è qvo Caſtor & Pollux, oſtendebatur olim apud Lacedæmonios tæniis à teſtudine templi ſuspenſum, ceu *Pauſanias* (*in Laconicis*) tradidit. Ejusmodi ova adhuc hodiè in antiqvis conſpici nummis *Julius Capacius* (*l. 1. Hiſtor. Neapol. c. 14.*) commemorat. *M. Junius Pera* Caſtorem & Pollucem pedites teſtis ovorum (ex qvibus prodiiſſe finguntur) pro pileis inſtructos, ſtellis qvoq; abditis, habuit; qvod, ut *Maſenius* (*l. 3. Specul. imag. occult. veritat. c. 30. n. 8. p. 398.*) opinatur, fraternum amorem inter ſimiles, iisdemq; parentibus natos, exprimere voluit; qvo ſe ad fratrem amandum excitaret. Ornamenta Circi ova, meta, obeliſcus, carcer. Ova honori Caſtoris & Pollucis aſcribunt, qvi illos ovo editos credendo de Jove Cygno non erubeſcunt. (*ex Iſidoro recitat Paul. Leopard. l. 16. Emendat. c. 1. p. 326. Joh. Roſinus l. 5. Antiqvit. Roman. c. 4. p. 693.*) Plura de ovis ceſtorum *Tertullian.* (*l. d. Spectac.*)

§. 34.

Manu ducit qvaſi nos *laudatus Bocatius* (*c. l.*) in reconditum naturæ ſacrarium, qvando præter allatas rationes, cur ex uno ovo prodiiſſe fingantur Caſtor & Pollux, & hanc adfert, qvia pellicula qvadam circumvoluti ambo eodem partu nati ſunt, ut videmus nonnunqvam ova naſci panniculo nondum in nucleum ſolidato. Fœtus nempè involucris ſuis incluſi ovum molle, *μαλακόδερμον*, referunt, qva de cauſa etiam conceptum ovo, cui putamen detractum, comparavit *Philoſophus* (*l. 7. hiſt. Animal. c. 7. p. 1002.*) Et qvamvis unusqvisq; fœtuum in gemellis & partu

numeroſiore peculiari gaudet involucro interno, ἄμνιος græcè dicto, involucrum tamen externum, χόριον *Hippocrati* (*l. d. ſuperfœtat. p. 4.*) nuncupatum, non raro unicum habent, ut *Sebizius* (*Exerc. Med. p. 470. & 475.*) docuit, qvod tamen perpetuum non eſt, membranæq; iſtæ potius una propter contiguitatem & mutuam adnaſcentiam videntur, qvàm reipſa ſunt. Diviſæ apparent, ſi non ſint unius ſexus gemelli, ut vult *Coſmus Viardel.* (*l. 2. obſ. d. part. mul. c. 17. p. 85.*) aut ſi non gemellationes, ſed ſuperfœtationes, ut notavit *Joh. Georg. Elsnerus* (*Dec. 1. Ann. 1. Miſc. Cur. obſ. 39. p. 129.*)

§. 35.

Fabula hæc præterea, *judicio Fulgentii* (*l. 2. Mythol. p. 147.*) myſtici ſaporem cerebri concipit. Jupiter enim in modum potentiæ ponitur, Leda vero dicta eſt qvaſi λοίδη, qvod nos latinè aut injuriam, aut convitium dicimus, ergò omnis potentia injuriæ mixta ſpem ſuæ generoſitatis mutat. Ideò vero in Cygnum converſus dicitur, qvod ferunt Philologi, qvam maximè *Meliſſus Euboicus*, qvi omnium Philoſophorum ſententias diſputavit, hujus generis avem ita convitiis eſſe plenam, ut ipſa ave clamante, reliqvæ aves taceant, qvæ præſtò ſemper fuerint, unde & olor dictus eſt, qvaſi ab oligoria tractum, qvod nos latinè injuriam dicimus, ergò qvotiescunq; nobilitas in injuriam vergit, convitiis miſceatur neceſſe eſt. Sed qvid ex hac re concipitur videamus. Nihilominus ovum, qvia ſicut in ovo omnis ſordities, qvæ purgari poteſt in igne, continetur intrinſecus: Ita etiam in effectu injuria omnis eſt immunditia, ſed ex hoc ovo generantur tres, Caſtor, Pollux & Helena. Nihilominus ſeminarium ſcandali & diſcordiæ, & geminum luctum concusſit adultera mundo. Caſtorem verò & Pollucem qvaſi in modum proditionis ponunt, unde & alternatim reſurgere atq; occidere dicunt, qvod ſuperbia nonnunqvem vivat, nonnunqvam occidat, unde ὑπερηφάνια græcè ſuperbia dicitur, ſed ὑπερηφάντα pro-

propriè ſuperapparitio dicitur, qvia in iſtis duobus ſignis, qvæ eorum vocabulo Naturam nuncupavere, unus ſuperappareat, alter vergat, ſicut lucifer & antifer, nam græcè Pollux *ἀπὸ τοῦ ἀπολλύειν*, id eſt â perdendo, & Caſtor qvi *κακὸν ὕστερον*, i. e. malum extremum. *Hæc Fulgentius.*

§. 36.

Cupidinem etiam ex Ovo prognatum credidit vetuſtas. *Ariſtophanes* (*in Avibus*) Noctem Zephyrium ovum peperiſſe *ſcripſit*, è qvo natus, & cum chao miſtus Cupido omne Deorum genus ex illo excitavit. Idem habetur in Orphicis. Verſus *apud Natal. Comit.* (*l. 4. Mythol. c. 14. p. 398.*) leguntur. Et qvid mirum Cupidinis ortum ex ovo deducere Poëtas. Avium inſtar enim alatus fingitur & pingitur. Spiritum mundi Cupidinem interpretatur *Beckius* (*Experim. circ. Nat. rer. princip. p. 298.*) primam rerum eſſentiam & vim *Verulamius.* (*Parmenid. Teleſ. & Democrit. Philoſ. col. 651.*) Eſt Cupido, *ratiocinatur*, verè ovum excluſum â Nocte: notitia enim ejus (qvæ omnino haberi poteſt) procedit per excluſiones & negativas. Probatio autem per excluſionem facta, qvædam ignoratio eſt, & tanqvam Nox, qvoad id qvod includitur. Ἔρως contra *Jacobo Tollio* (*Fortuit. c. 18. p. 139.*) eſt Aër. Πρωτογόνος autem *Orpheo Onomacrito* dictus, qvia chaos inſtar ovi, in qvo aqva albumen; vitellum terra, pariter ſperma ignem ſeu acidum nobis exhibet.

§. 37.

Æſculapium ortum ſuum etiam ovo debere *Natalis Comes* (*l. c. c. 11. p. 366. & ex eo Simon Majol. T. 2. Dier. Canic. Colloqv. 3. p. 229.*) annotavit. Fabula iſta eſt. Dicunt qvidam illum non è Nympha Coronide natum ſed ex ovo corniculæ: qvia Coronis utraſq; ſignificet; & Nympham ita vocatam, & corniculam, ut aſſerit *Lucianus* (*in Dialog. de falſo Vate.*) â qvo res ita commemoratur.

Fer-

Fertur qvidem ex antiqvis Sacerdotibus ſerpentem perexiguum in ovum vacuum corniculæ incluſiſſe, ceraq; ſtudioſè oblitum luto loco qvodam occultaſſe: mox ara inſtructa populum in concionem ad eum locum advocaſſe, cum nunciaret omnibus palam ſe Deum eſſe oſtenſurum. Poſt concionem incognitis qvibusdam vocibus uſus, Apollinem & Æſculapium invocavit, ut dexter ac felix illi civitati accederet. Deinde phiala aqvam hauriens in profundum demerſa ovum illud unà cæpit, qvod præſentibus multis fregit, pullumq; recentem ſerpentis inveniens cunctos homines in admirationem rei induxit. Poſteà verò ſerpentem inſignis magnitudinis paucis diebus elapſis in loco ſubobſcuro oſtendens, artificioſè ſe moventem, illum ita creviſſe ajebat, ac Deum eſſe Æſculapium Apollinis Filium. Inde verò ſerpentes in ejus tutela. Qvod ſi *ſecundum Pauſaniam* (*in Achaicis*) per Æſculapium aër ſignatur, & ille è chao tanqvam ovo productus non ſine cauſâ fingitur.

§. 38.

Ex ovis etiam Dii Syri. Certè *apud Arnobium* (*inqvit multiſcius Conringius l. 1. de Hermet. Med. c. 7. p. 69.*) Ovorum progenies Dii Syri dicuntur. Venerem Syriæ, qvæ & Dea Syria appellata, ex ovo miræ magnitudinis natam *Nigidius ſcribit* (*apud Scholiaſtem Germanici,*) *& Lucius Ampelius.* (*l. ad Macrinum.*) Hujus verba ſunt: Dicitur & in Euphratis fluvio ovum piſcis columba adſediſſe dies plurimos, & excluſiſſe Deam benignam & miſericordem hominibus ad bonam vitam. Gemella his recenſuit *Hyginus,* (*Fabul. c. 197. p. 211.*) Oſtendit autem *Rupertus* (*in obſerv. hiſtor. ad Beſold. p. 39.*) fabulam hanc à Semiramide, Venere illa ſeu Aſtarte, Dercetus filia, derivatam, utpote de qva hiſtorici tradunt, ad lacum fuiſſe expoſitam, columbarum alis fotam, coagulato lacte ex paſtorum mapaliis ſurrepto ab iisdem nutritam & poſt mortem co-

lumbis

lumbis conſecratis honoratam. Ipſa Semiramis poſt mortem in columbam transiiſſe fingitur, *qvod alibi* (*l. 2. de mirac. mort. Tit. 10. §. 11.*) notavi, (*Conf. Voſſ. l. c. de Idololat. c. 23. p. 176.*) & ipſum Semiramidis nomen montanam columbam deſignare *Heſychius* autor eſt. Qvod ſi hoc de Venere non placeat, ſentit *Cl. Beyer.* (*addit. ad. Syntagm. II. de Diis Syris Seldeni c. 4. p. 290.*) & Venus omnium rerum natura materq; magna intelligatur â columba excluſa, dici poteſt originem debere fabulam, vel malè intellectæ, vel depravatæ creationis hiſtoriæ, in qva Spiritus ſanctus, ut avis, vel gallina vel columba excluſura pullos emphaticè refertur incubuiſſe aqvis.

§. 39.

Ex ejusmodi fabuloſo ovo nonnulli Oën ſeu Oanem (ab ovo ideò nuncupatum; ut Oonæ Inſulæ, eo qvod ovis avium paluſtrium & avenis earũm incolæ tantum alantur, nomen acceperunt. *Vid. Plin. l. 3. c. 13. Pomp. Mela l. 3. de Situ Orbis c. 6. p. 129.*) qvi & Annedotos dicitur, (deſcriptionem monſtri ex aliis exhibuit *Seldenus. c. l. c. 3. p. 263. ſq. & Georg. Hornius l. 2. Hiſt. Philoſ. c. 4. p. 81.*) Artium apud Babylonios inventorem prodiiſſe tradiderunt. Diti ſanctisſima apud Braminos ſeu Brachmanes fœmina, gravida facta, ova duo luci dedit, è qvibus Annura & Garrouda, Dii apud Brachmanes minorum gentium excluſi *Evolv. Abr. Rogers Oſne Thür zum verborgenen Heydenthum* (*part. 2. c. 4. p. 269.*)

§. 40.

Zoroaſtris Theologia, qvam & Perſæ ſecuti ſunt, fuit: Duos eſſe Deos, rerum principia: Bonum Oromazon natum è purisſima luce, & malum Arimanium è caligine: Illum condidiſſe bonos alios Deos XXIV. & in ovo incluſiſſe: Hunc produxiſſe totidem malos, qvi ovum illud perforarint, atq; inde bona malis permixta eſſe. *Plura Plutarchus* (*l. d. Iſide & Oſiride.*) *Gerh. Joh. Voſſius* (*l. 1. de Orig. & progr. Idolol. c. 5. p. 33.*). Portentoſum

E ſanè

ſanè ovum tot Deorum templum, imò cœlum *Conf. Urſin. (l. 5. Anal. Sacr. c. 3. p. 243.) Dieter. (Antiqv. Bibl. p. 72.)*. Cui verò decernere in proclivi erit, an ideò qvod ex ovis ortum ſuũ ſumpſiſſe credant cœli terræq; Creatorem Indi, Eidem etiã figuram tribuant ovalem! Qvod perfectionis Symbolum ſit circulus, Jovẽ cœli circulũ vocabant Perſæ, Deum itidem circulum Saraceni atq; ſic, *teſte Pierio. (l. 39. Hieroglyph. c. 8. p. 486.)* Sempiternum exprimi contendebant. An hinc rambi circulares capita Deorum & ſanctorum Divisq; aſcriptorum ambientes ortum ſuum ſumpſerint divinent alii. Sed in ovalem poſtmodum apud Indos figuram transiit ille circulus. Audiamus *Joh. Baptiſtam Tavernier. aut ejus interpretem Menudier. (l. 3. Itiner. Ind. c. 5. p. 152.)* Weil die Indianer vielleicht höhren ſagen, daſs die Circular-figur die vollkommenſte ſey unter allen figuren, haben ſie geglaubt, es müſte daraus folgen, daſs Gott eine Oval-figur habe, und verwahren dieſer uhrſach halben ordentlich in ihren Pagoden einen Kieſelſtein von einer Oval-figur, welchen ſie aus dem *Gange* bringen, und alſs Gott anbethen. Sie ſind auff dieſe närriſche meinung ſo erpicht, daſs auch die allerweiſeſten Braminen von einem vernünfftigen Gegenſazz nicht höhren wollen, und muſs mann ſich alſo nicht verwundern, wenn ein Volck, welches ſo üble Wegweiſer hat, in einen ſo groben und abſcheulichen Irrthum fällt. Es iſt ein Stamm, ſo abergläubiſch über dieſen Articul, daſs die, ſo von ſolchen ſind, dergleichen Ovalſteine am Halſe tragen, und ſich auff die Bruſt ſchlagen, wenn ſie bethen. *Hac ille.*

§. 41.

Ad magica ova mea ſe convertit oratio. Non innuo autem qvæ Magia naturalis parit & parat, v. g. ovum ſub aqva ardens, cujus confectionem docuit *Fluddus (utriusq; Coſm. hiſtor. tr. 1. l. 7. c. 6. p. 194.)* Ovum in aëre ſponte aſcendens, *de qvo Idem (c. l.*

c. 2.

c. 2. p. 180.) & *Schottus (Cent. 1. Joceſer. Art. & Nat. propoſ. 39. p. 34.)* Supra menſam hūc & illuc diſcurrens, *apud Eundem (c. l. propoſ. 4. p. 5.)* & ſi qvæ ſunt alia jucunda & ludicra cum ovis experimenta. Ovum Magicum hoc loco eſt Magiæ nefandæ & diabolicæ productum. Narratum pro veriſſimo fuit *Dn. J. Georgio Sebaſtiano Jungio* de cane oviparo, qvi, cum eſcam qvandam â ruſtica ſingulari artificio pro gallinis ſuis, ut ova majora & copioſa parerent, præparatam devoraret, dominūm ſuum in itinere inſeqvens aliqvot ova, ūnum poſt alterūm, pluribus conſpicientibus per alvūm excludere viſus eſt: unde multum debilitatus, eſca vero illa excreta priſtino vigori reſtitutus fuit. *(Vid. Miſcell. Curioſ. German. Dec. 1. Ann. 2. obſ. 250. p. 348.)* Gemellam de ruſtico, panem â ſaga pro gallinis, copioſa ova ut ponerent, communicatum devorante, qvi gallina exinde factus ova moliri cœpit, recitat *Stengelius, (Emblemat. 58. 2.)*

§. 42.

Ex Norwegiæ Præpoſitura Næſs, Diœceſis Stavangrienſis delatum fuit ad *O. Wormium, (l. 3. Muſ. c. 21. p. 311.)* Ovum ovo gallinaceo prorſus ſimile, integrum cum hac narratione, trium virorum fide dignorūm manu & ſigillis confirmata. Fœmina qvædam honeſta Anna Amundi filia, uxor Guldbrandi Erlandſonii in Sundby, qvæ matrimonio ante duodecim peperit liberos, qvi adhuc ſunt ſuperſtites, anno 1638. qvarto Martii in morbum incidit, qvi in annum ſeqventem duravit. Cum 17. Aprilis vehementius doloribus ventris torqveretūr, vicinas convocavit & circa veſperam ovum peperit, qvod cum aperiret, vitello & albumine prorſus nihil diſtabat â communi ovo gallinaceo. Decima octava Aprilis iterūm doloribus correpta parturientium ſimilibus circa meridiem præſentibus fœminis iisdem aliud peperit, qvod integrum in aulam (Haffnienſem) cum fide dignorum teſtimonio literis conſignato tranſmiſſum,

mcæq; tandem cuſtodiæ traditum, qvod inter rara mea reconditum ſervo. Tantis verò parturiginis doloribus divexatam ſe conqverebatur mater, qvantos nunqvam in aliis partubus eſſet experta, qvod & fœminæ præſentes teſtabantur. Unde per aliqvot ſeptimanas poſt lecto affixa detinebatur, anteqvam vires recuperare potuerit. *Hactenus Wormius*, qvi ejus Iconem exhibet (*c. 1. p. 312.*) Eandem hiſtoriam (*Cent. 1. obſ. 4. p. 11.*) deſcripſit *Th. Bartholin.*

§. 43.

Partum hunc inter naturales non reputat *VVormius*, & tàm præſtigiis diabolicis excitatos fuiſſe dolores iſtos, qvam ova ſuppoſita, exiſtimat. Pollicem huic premit *Excell. Frommannus, Amicus honorandus*; (*l. 3. egregii operis de Faſcinat. p. 6. c. 20. §. 9. p. 892.*) qvi ova qvidem in ſexu fœminino dari aſſerit, ſed ad eam figuram, colorem, conſiſtentiam, qvantitatem iſta, ut ſimillima ovo gallinaceo fiant, ut credat, adduci non poteſt. Qvod ſi per naturæ vires id fieri poſſet, *pergit*, in tanto fœminarum numero, in tot mundi partibus, ovorum productio non tam rara foret. Præter iſtam autem in Norwegia fœminam ullam ovum gallinaceo ſimillimum enixam non meminit ſe legiſſe.

§. 44.

Ego verò, pace tantorum virorum id fiat; qvod ſecundum naturam fœminæ ova gallinaceis ſimillima aliqvando excludere posſint, nullus dubito. Si namq; ova humana vitello ſuo gaudent & albumine, æq; ut gallinacea, adeoq; magnitudine & qvod μαλακόδερμα ſint ab illis ſolum differant, cur non ad uterum delata, comprimis ſi fatua ſint & hypenemia, uteri vaſis agglutinari & augeri poſſent. Ante qvadriennium in ovario fœminino paſſeris ovi magnitudine reſpondens, molle tamen, me vidiſſe recordor. Nec materia aliqvando utero deeſt, è qvo cruſta formetur, cum lapidum durisſimorũ & magnorum offici-

officina aliqvando ſit uterus, & ipſum fœtum in ſaxeam duritiem transmutare valeat, qvod *alibi* (*l. 3. de Mirac. mort. Tit. 3. §. 36. & 38.*) demonſtravi, & ipſe uterus lapideus aliqvando fuerit inventus. (*Ibid. §. 36. 37.*) Non igitur omne qvod rarò accidit, magicum reputandum, cum pigritiæ immenſæ inventum, *judice Helmontio* (*tr. de inject. mat. n. 2. p. 476.*) ſit omnia in Diabolum referre, qvæ non capimus.

§. 45.

Sed & præter Norwegicam illam ova è ſinu muliebri excuſſere aliæ fœminæ. Si μαλακόδερμον reqviris, cum intempeſtivo ſangvinis profluvio qvædam *teſte Sylvatico* (*Cent. 4. Conſil. 58. p. 343.*) membranoſum qvoddam excuſſit ovo gallinaceo mole non abſimile. Ovi formæ qvid utero excretum *Anton. de Heide* (*Cent. obſ. Med. 44. p. 106.*) commemorat. Si ὀστρακόδερμον. Anno 1621. in agro Vicentino fœmina qvædam obortis doloribus parturienti conſvetis ovum edidit perfectum, qvod annotat *Joh. Rhodius* (*Cent. 3. obſ. med. 57. p. 151.*) His diebus mulier Hafnienſis *ſcribit Th. Bartholin.* (*de inſolit. part. viis c. 16. p. 126.*) poſt imprægnationem 12 hebdomadarum ex utero ſenſit dolores parturientium, dumq; anxiè ſe in lecto verſaret, ovum peperit, qvod ne â pluribus videretur, ſtatim manu prehenſum confregit & abjecit ipſo marito confitente. Subventaneum illud vocat (*Cent. 3. Epiſt. 52. p. 14.*) & teſta molliuſcula prodiiſſe confitetur (*c. l. Epiſt. 27. p. 101.*) Cur igitur non disrupit, ſed confregit? interim, an forſan rarioribus molis hæc ova μαλακόδερμα ſint accenſenda, eruditiores cogitent.

§. 46.

In Abſceſſibus aliqvando ova (μαλακόδερμα) ob figuram ita vocata genita hiſtoriarum ſcriptores annotarunt. In abſceſſu dorſi adaperto qvinqvaginta ova aqva limpidiſſima plena inventa, qvod *Schulzius* (*apud Schenkium l. 5. obſ. med. p. 662.*) retulit.

 Pol-

Folliculum cum inſerto ovo puſillo è genâ adoleſcentis eduxit *Severinus* (*l. 3. de recondit. Abſceſſ. nat. c. 16. p. 114.*) Allegat *idem* (*c. 9. p. 108.*) è *Marcello Donato* (*l. 4. Hiſt. mirab. c. 30.*) ovum ex abſceſſu femoris majuſculum ejectum, ſed memoriæ lapſum paſſus eſt *vir celeberrimus*; non enim ovum, ſed lapidem album magnitudini ovi gallinacei proximum habet *Marcellus* (*p. 526.*) Lupia plus qvam qvadraginta ova, qvorum qvædam gallinaceis, nonnulla columbinis, paria erant parti Jecoris gibbæ annata continens à *Gervaſio* curata refertur (*Zodiac. Med. Gallic. Ann. 5. p. 26.*) Ova ejusmodi è femore mulieris exſecuit agyrta, qvod, *J. B. à Lampzwerde* (*hiſt. nat. Molar. Ut. c. 25. p. 277.*) annotat. In tumore ingvinali ovum μαλακόδερμον verum inventum in literas retulit *laborioſisſimus noſter Paulinus* (*Dec. 1. M. C. Ann. 8. obſ. 80. p. 136.*). Strumarum ſemina multa propria tunica incluſa, ita ut majora incumberent minoribus, declinante ſenſim usq; eo ipſorum magnitudine, ut tandem vix æqvarent ſemen ſeſaminum deſcripſit *Tulpius* (*l. 1. obſ. med. c. 40. p. 93.*). Ex ovis iſtis aliqvando animalcula prodire non ſemel animadverſum. *Philoxenus teſtante Pareo* (*l. 6. Chirurg. c. 19. p. 158.*) & *Franc. Peccetio* (*l. 1. Chirurg. c. 25. p. 127.*) muſcas & culices aperto ſteatomate conſpexit, ſtruma ad ovi magnitudinem enſe vulnerata pediculos *Foreſtus* (*l. 8. obſ. med. 15. p. 245.*) abſceſſu cauteriſato animalcula qvædam *Cabrolius* (*obſerv. 27. p. 17.*) notavit. Plura *alibi* (*l. 3. de Mirac. Mort. Tit. 1. §. 9.*)

§. 47.

Non rarò è tumoribus & ulceribus ſummè dolorificis putamina & cortices ovorum, qvod etiam *Phil. Salmuth.* (*Cent. 3. obſ. p. 112.*) & *Severinus* (*l. 3. de recond. Abſceſſ. nat. c. 16. p. 115.*) obſervavit, & mihi non ſemel viſum, cum aliis rebus abſurdis extrahuntur, qvod ipſum faſcinationi magicæ vulgò aſcribitur. Inſenſibiliter Magos iſta per cutim injaculari *Helmontii* (*tr. d. injećt. material. n. 1. p. 475.*) decretum eſt. Utut verò aliqvando magicum aliqvid ſub-

ſubeſſe non penitus inficior; ita ab extra iſta ſemper inviſibili modo cavitates corporis intrare difficulter perſvadeor. Dantur ſanè abſceſſus lapidicondi, qvod etiam *Galenum* non latuit, (*vid. 14. M. M. c. 12. p. 512. & l. 2. de Art. curand. ad Glaucon. c. 6. p. 65.*) neq; *Celſum* fugit, (*l. 7. de Re Med. c. 6. p. 404.*) qvorum hiſtorias è *Marc. Donato* (*l. 4. hiſt. med. mirab. c. 30.*) *Barthol. Turriano* (*l. 4. Conſult. Med. c. 6.*) *Pareo l. 24. Chirurg. c. 19. p. 569*) *Panarol.* (*Pentecoſt. 5. Obſ. 42. p. 172.*) *Borell.* (*Cent. 1. obſ. 4. p. 8.*) *M. Aurel. Severin.* (*l. 4. de recond. abſceſſ. nat. c. 28. p. 243.*) *& aliis* petere licebit. Et nulla corporis noſtri pars eſt, qvæ non aliqvando *cum Polemone Sophiſta* Medicos admonere cogitur, ut effodiant incidantq; ejusdem lapidicinam (*Conf. l. 3. de Mirac. mort. Tit. 3. §. 5. & ſq.*) Si igitur è congrua humorum eorundemq; particularũ immutatione & diſpoſitione lapides variarum figurarum & colorum generantur, ſi arena, carbones, cochleæ, ſpicæ, fœnum, cornu, pili, cartilagines, oſſa, integra animalcula, tàm viva qvàm mortua, ut (*c. l.*) *Paraus & Cabrolius* (*obſ. 27. p. 16.*) notat; ſi gypſum, *teſte Braſſavola* (*comm. in ſ. 4. Aph. Hipp. 79.*) ſi, monſtra illa *Helmontio* vocata, (*tr. Volupe viventium n. 4. p. 312.*) calx & creta in nodis, juncturas Podagricorum obſidentibus, effinguntur, cur non & materia teſtas ovorum referens? Artificialia corpora v. g. cultros, clavos &c. â natura in ulceribus fingi ſuſpicatur *Franciſcus Tidicaus* (*in Microcoſm. Tr. 6. p. 417.*) ideò, qvod etiam è terra corpora artificiali forma eruantur, qvemadmodum in Thuringiæ, Bohemiæ & Sileſiæ qvibusdam locis ollæ fictiles ex ima terra effodiuntur, verã & manu formatam ollam præ ſe ferentes, ubi tamen conſtat nullum figulum ſubeſſe talium vaſorum formatorem. Aſcribat horum vaſorum elaborationem Dæmonibus *Ananias* (*l. 4. de Nat. Dæmon. p. 190.*) pro urnis veterum habeant doctiores, *cum Georgio Agricola* (*l. 7. de Nat. Foſſ. p. 639.*) pro utenſilibus â Nanis elaboratas vulgus, ut eſt *apud Eundem* (*c. l.*) *Schwenckfeld.* (*l. 3. Foſſil. Sileſ. p. 407.*) *Jonſton.* (*Thaumatogr. Nat. cl. 10. c. 4. Artic. 2. p. 458.*) A natura easdem

effi-

effictas cum imperito Saxoniæ & Luſatiæ vulgo credo, eò qvod mollia & madida propè effodiantur. *Vid. Exc. Noſter Hagendornius* (*Dec. 1. Miſc. Curioſ. Ann. 3. obſ. 137. & Analect. ad. Ann. 5. p. 300.*) Has verò ab urnis veterum, qvæ ſub terra inveniuntur, diſtingvendas *cum Nobilisſimo Noſtro Majore.* (*Annotat. ad c. 1. d. Purpur. Fab. Colum.* §. *14. p. 21.*) cenſeo. Sal minerale terræ innatum uſtulando lapideſcit in lapides, teſtas, ollas, ſi *Helmontium* (*de Lithiaſ. c. 3. n. 7. p. 669.*) conſulas. Modum alium adumbravit *Zach. Theobaldus* (*de Arcan. Nat. ſ. 21. p. 158.*) qvem, ſi libet, evolve.

§. 48.

Ad ova provehor Mechanica. Caſtellum Neapolitanum, ovum dictum, parum aut nihil ad rem præſentem. Nec ovum Armigerorum, galea *Avicenna* (*l. 3. Fen. 1. tr. 2. c. 1. f. 189.*) dictum, hanc illuſtrabit Oologiam. Amphitheatri figura ovalis erat, qvod ex Amphitheatri Titiani & Veronenſis facie interiore *apud Hieron. Mercurialem* (*l. 3. de Art. Gymnaſt. c. 4. p. 190.*) delineata conſpicuum evadit. Ovum inde *à Tito Calpurnio* (*Ecclog. 7.*) in illo

Et medium geminis ſe molibus alligat ovum,

dictum auguratur *Adr. Turnebus* (*l. 7. Adverſ. c. 5.*) Ova in circo à forma ſic dicta, ut patet ex illis, qvæ notat *Marcellus Donatus.* (*Dilucidat. in T. Liv. p. 97.*) Ova, qvæ in circo dicerentur, *ſcribit*, & in qvem uſum parata non æqvè manifeſtum. Ex marmoribus & numismatibus antiqvis, qvorum Icones *Onuphrius Panvinius* typis cudendos curavit, conſpicimus columnas modo binas, qvibus nonnunqvam juxta poſtremas metas Circi poſitas, qvatenus veluti qvendam lectulum ſuperſtructum, cui ſuppoſita corpuſcula qvædam ovali figura ad amusſim figurata, qvina qvandoq; numero, ut plurimum ſeptem. Uſus erat, ut aurigantibus oſtenderent, qvot circuitus in curſu perficiendi eſſent, nam à loco, ubi ſita erant, non amovebantur, ob id non ſemper eodem numero fuiſſe ex iconibus prædictis oculata fide dignoſci-

gnoſcitur. Forcipem cum ferro ovi formam exprimente formandis globulis plumbeis deſtinato delineavit *Agricola* (*l. 7. de Re. Metall. p. 188.*) Ovorum vitreorum exiguis foraminibus paratorum mentionem fecit *Cardanus* (*l. 13. de Var. rer. c. 63. p. 817.*) & qvomodo aqva commodè impleri posſint docet. Pilas Æolias, è cupro aliqvando rotundas, aliqvando, ovali figura, hodiè invulgus notas, conficiunt, de qvorum effectu & uſu *Gvalther. Rivius* (*in l. 1. Archit. Vitruv. c. 6. p. 96.*) *Sennertus* (*l. 4. Epit. nat. Scient. c. 3. p. 311.*) *Kircherus* (*l. 2. Mund. ſubt. c. 19. p. 117. & l. 4. ſ. 2. c. 5. p. 222.*) *Joh. Pecqvetus* (*Diſſertat. Anatom. c. 9. p. 125.*) *Schottus* (*l. 2. Techn. Curioſ. c. 24. p. 149. & l. 4. c. 12. p. 308.*) *cum aliis.* Qvosdam ovum aqvis imponere, ejus gravitatem aut levitatem probaturi *Idem* autor eſt (*c. l. l. 5. ſ. 2. c. 5. p. 276.*) An ovum gallinaceum, an mechanicum innuat non exprimit, cum utrumq; ex uſu eſſe posſit. Ita cereviſiæ bonitatem exploraturi inſtrumentum ex ſuccino aut ligno paratum habent Gedanenſes, qvod *Dn. D. Auguſtus Schæfferus Amicus honorandus* (*in denen Saltz-Proben*) depingit.

§. 49.

Non ſolum ova Struthiocameli (aut potius cortices ovorum) *teſte Plinio* (*l. 10. hiſt. nat. c. 1.*) propter amplitudinem qvibusdam habita pro vaſis, ſed & erant veteribus figura ovali Scyphi, de qvibus ex *Athenæo* (*l. 11. Deipnoſoph. c. 15. p. 503.*) ſeqventia annotare lubet. De Ooscyphiorum figura *Mylenus Aſclepiades* (*l. d. Neſtoride*) *ſcribit*, duplex illis fundum fuiſſe, alterum qvod vaſi eſt ad ejus convexitatem agglutinatum, alterum adjectitium, qvod incipit ab acuto, in latius deſinit, cui poculum innititur ovum. *Dinon* (*l. 3. Rer. Perſic.*) Eſt, *inqvit*, Potibazis ordeaceus panis aſſus, atq; etiam triticeus: hederacea item corona ex cupreſſu, & vinum in aureo temperatum ovo, ex qvo Rex ipſe bibit.

§. 50.

Cucurbitularum figuram & magnitudinem diſcretam in morbis non ſine cauſa inculcat *cum Hippocrate* (*l. de priſca Med. p. 19.*).

 M. Au-

M. Aurel. Severin. (*l. 1. Pyrotechn. Chirurg. part. 3. c. 4. p. 212.*) obſervavit autem *diffuſæ lectionis & accurati judicii Medicus Hieron. Mercurialis* (*l. 2. de morb. puer or. int. c. 2. f. 52. b.*) ſtrictioris oris cucurbitulas *apud Heronem* (*l. de Spiritualibus.*) vocari ova medica, eò qvod referebant veluti ovorum figuram. Atq; his monet *Hipp.* (*c. l.*) utendum eſſe qvotiescunq; Medicus optat attrahere à partibus rotundis.

§. 51.

Habent & Chemici, qvi & ſe Philoſophos nominant, ſua ova, unum contentum dicitur ſeu lapis Philoſophorum, alterum continens ſeu inſtrumentum, in qvo ille cum aliis medicamentis chemicis paratur. De priori *Diſſertatione tertia* (*Artic. 2.*) de poſteriori modo pauca. Vocatur etiam ovum Hermetis *à Mart. Rulando* (*Lex. Alchem. p. 357.*) Ovum Philoſophicum *Paracelſo* (*T. 1. op. l. de Tinct. Phyſic. c. 5. p. 924. & Manual. d. L. P. p. 947.*) Ovum Philoſophorum *Pareo* (*l. 26. Chirurg. c. 17. p. 645. & Joh. Rhenano l. 1. Diſſert. Chymiotechnic. Theorem. 36. p. 16.*)

Vas vitreum fiat ſpiſſum nimis, atq; rotundum,
Oris & oblongi ſit nimis & teretis,
Anguſtiq; nimis qvod jure rotumba vocatur.

Raſes Ceſtrenſis (*in l. Lum. p. 72.*) Vas primi operis rotundum fieri debet, in ſecundo paulò minus vitrum, inſtar phiolæ vel ovi, *Sendivogius* (*de L. P. tr. 11. p. 39.*) docuit. Ampullam vocat ſphæricam ſine collo, ſectilem in medio, ita ut conſeri poſſit *Andr. Libavius* (*l. 1. Alchem. c. 4. p. 7.*) Alia figura depingit *Fried. Hofmann.* (*l. 3. Clav. Schroed. c. 17. §. 180. p. 317.*) & *Nobiliſſ. noſter Clauderus* (*Miſc. cur. Dec. 2. Ann. 4. obſ. 135. p. 266.*) Aliqvando è terra, aliqvando è metallo v. g. cupro paratur, etiam è vitro. Veſicam deſtillatoriam in forma ovi habet etiam *Kircherus* (*l. 11. Mund. ſubt. ſ. 1. c. 5. p. 258.*) Circa ovi hujus philoſophici pro conficiendo liqvore Alcaheſt (*vid. Becher. Chym. Concordant. part. 3. p. 370.*) aut Lapide Philoſophorum, mate-

materiam, ſi qvis alius ſollicitus eſt *Gerard. Dorneus* (*Conger. doctr. Paracelſ. de Transmutat. Metall. c. 5. Tom. 1. Theatr. Chym. p. 574.*) qvi ex mente *Paracelſi* (*l. 2. de Spirit. Metall. c. 3. p. 74. & Autor. Philoſoph. c. 18. p. 90.*) ita diſſerit: Ad hanc artem eſt qvod habeas ritè juſteq; proportionatum vitrum. Etenim ſi capacius erit, qvam par eſt, dilatatur materia, id eſt, humiditas, ut nihil inde naſcatur; ſi verò ſit anguſtius vel compresſius germen ſuffocabitur, ut nullum fructum fructum edere valeat. Exemplo patet ab eo, qvod ſub umbra vel tecto ſatum fuerit, nil inde boni frugive produci. Qvapropter plurimi refert ad vitrum hoc animum advertat: Nam per ipſum vel in ipſo commiſſus error non facile corrigitur, imò non producitur opus ob ejus impedimentum ad optatum finem. Proinde ad uncias duas materiæ ſumito uncias duas cum dimiduo vitri vel ovi philoſophici, hoc eſt qvod pondus hoc referat: habenda ratio tamen eſt juſtæ vitri ſpisſitudinis. His obſervatis non facilè committitur error. Vas illud obſtructum ſedulò (lutum habet *Becher. c. l. p. 368.*) monet *Libavius* (*l. 4. Commentat. Metallic. p. 110.*) ponendum in cineres puros elutosq; eſt, qvi continentur catino ovali, vel globo qvalem deſcribit *Pandoræ Autor.* Alii circumvolvunt bombace, includuntq; ovo philoſophico ex qvernis lignis per tornum fabrefacto & apertili. (*Vid. Autor. Arcan. Hermet. philoſ. §. 113. 114. p. 67.*) Sed hic locum non habet Phiola ſeu Geranium. Itaq; hoc qvi utuntur oblongam fieri ſibi curant pixidem item ex qvercu complicatilem, & in hoc locant vas ſuum. Sic cubantem cum cum uxore ſua Regem reponunt in ſingulari cubiculo ſeu loco, ubi nulla vis ei posſit incommodare. Addo his illud *Borelli* (*Cent. 3. obſ. med. 89. p. 267.*) Sunt qvidam Philoſophi qvi ignem vaſi includere ſciunt diuturnum, & in ipſo Alembico, in qvo ignis eſt, pendent etiam ovula philoſophica cum aurichalci transverſis filis.

 §. 52. Pa-

§. 52.

Palatui benevoli Lectoris litaturus ova Magirica è culina in ſcenam producere conſtitui. Erant & ova olim, prout nunc, Apitiorum delitiæ. Inter oblectamenta *teſte Atheneo (l. 2. Deipn. ſ. c. 16. p. 57.)* reputat vini Phœnici exiguas lagunculas & *ὠάρια Ephippus*, qvi & paulo poſt *(p. 58.)*

I tria, bellaria, pyramos, ames, ovorum hecatombe,
Omnia illa biantes nos voravimus.

Qvare & inter bellaria ea numerabat *doctiſſimus Iſ. Caſaubonus (in l. 14. Deipnoſ. Athen. c. 17. col. 926.)*, qvo loco forſan Græcorum conſuetudinem attendit, Romanis namq; ovum conviviorum erat exordium. *(Vid. Diſſert. h. §. 4. pag. 4.)* Apud *Galenum (l. 3. d. aliment. facult. c. 22. p. m. 180.)* pro diverſitate cocturæ vocantur qvædam *τρομητὰ* tremula *ἁπαλὰ Dioſcoridi (l. 2. de mat. med. c. 54. p. m. 100.)* qvædam *ῥοφητὰ* ſorbilia; qvæ cruda pene ſorbebant, ideò *Dioſcoridi (c. l. c. 55.) cit. Caſaubon. (in l. 2. Athen. c. 16. col. 117.)* *ἀπεριχλιάρα* vocata, qvæq; planè liqvida vix incaluerunt, *ſecundum Jan. Anton. Saracen. (Schol. in l. 2. Dioſcor. c. 54. pag. 31.)* *ἑφθὰ* qvædam ſeu *παγηνιστὰ* in ſartagine inſpiſſata ſeu elixa; qvædam *πνικτὰ* ſeu ſuffocata, qvæ qvomodo parentur docet *Galen. (c. l. p. 181.)*, alium modum præſcribit *Sennert. (lib. 4. inſtit. part. 1. c. 3. pag. 838.)* caloris nonnihil his adimi, ſi, anteqvam torreantur, una cum teſta prius aceto aliqvandiu immerſa fuerint, putat *Thomas Jordanus (tr. 3. de peſt. phænom. p. 440.)* De coqvuntur ova in aqva ſimplici vel etiam muria, aut fontium ſalinorum ſcaturigine vulgo Sohl-Eier, de qvibus *Exc. Joh. Andr. Stiſſer. (Act. Lab. Chemic. Specim. 1. c. 7.)* ſeu in jure carnis, integra ſine corticibus, qvæ ſapida & optima ſunt, præſertim ſi cum ſaccharo & cinnamomo condiantur. Hoc modo con-

dita alii aqva roſacea percoqvunt, qvod *Nicol. Maſſa* (*Tom. 1. Epiſt. medicin. 3. ſ. 32. a.*) non vituperat. Arabes, ubi ignis copia defuerit referente *Kirchero* (*l. 3. Mund. Magnet. part. 2. c. 2. p. 409.*) ova cruda fundæ imponunt, & aſſidua rotata vertigine, aëriſq; ignitione ea tandem coqvi aſſerunt. Babyloniis idem in uſu fuiſſe è *Jonſtono* recitat *Elsholz.* (*l. 3. Diætet. c. 4. p. 188.*) Qvi Lombardici mentionem fecit *Reiner. Solenander* (*ſ. 3. Conſil. Med. 5. p. 329*) deſcriptionem non addidit, qvam *Rodericus à Caſtro* (*l. 4. de morb. mul. c. 2. p. 441.*) communicat, illudq; ex vitellis cum vino, ſaccharo & cinnamomo conficere docet. Habet & ova Tyropatina, Sphongia, Frictellata (*l. d. Re culinar.*) *Cœl. Apitius*, qvi videatur. Alias ovorum paraturas *ex Aëtio* (*tetr. 1. ſect. 2. cap. 74.*) *Oribaſio* (*lib. 2. Collectan. c. 45.*) *Johan. Bruyerino* (*lib. 15. de Re cibar. cap. 83. pag. 638.*) cognoſcere curioſis licebit. De ovorum condituris *Caſaubonus* (*ad l. 2. Athen. Deipnoſophiſt. cap. 16. col. 117.*) qvi ταριχηρὰ ova non piſcium tantum, ſed etiam carnium *ex Platonis Sympoſio* opinatur. Ovum magnitudine caput hominis vincens coqvos parare docuit *Joh. Baptiſt. Porta* (*l. 14. Mag. Natural. c. 9. p. 517.*) Nec ingratum erit è *Petroniana paropſide* (*Satyric. pag. m. 78.*) ſalibus & facetiis abunde aſperſa ova promere. Ita verò *Arbiter*: Guſtantibus adhuc nobis repoſitorium allatum eſt cum corbe, in qva gallina erat lignea patentibus in orbem alis, qvales eſſe ſolent, qvæ incumbunt ova. Acceſſere continuo duo ſervi, & ſymphonia ſtrepente ſcrutari paleam cœperunt, erutaq; ſubinde pavonina ova diviſere convivis. Convertit ad hanc cœnam vultum Trimalchio, &, amici, ait, pavonis ova gallinæ juſſi ſupponi. Et mehercules timeo, ne jam concepta ſint, temptemus tamen ſi adhuc ſorbilia ſunt. Accipimus nos cochlearia non minus ſelibras (non ſex libras ut rectius *Alii* legunt *ap. Matth. Raderum in l. 14. Epigr. 121. Mart. p. 947.* qvamvis & pondus illud tudiculæ ſeu truæ potius conveniens de plurium

cochlearium ſtrue explicet *Janus Duſa l. 1. præcid. in Petron. Satyr. c. 14. p. 233.*) pendentia, ovaq; ex farina pingvi figurata pertundimus. Ego qvidem penè projeci partem meam: nam videbatur mihi jam in pullum coiſſe. Deinde ut audivi veterem convivam. Hic neſcio qvid boni debet eſſe, perſecutus putamen manu, pingvisſimam ficedulam inveni piperato vitello piperatam. *Κρηπῖδες, apud Pollucem,* huc trahit *Franc. Pithœus (in Collectan. ad h. l. p. 156.)* Illæ verò placentarum erant genus *ἀλεύρου καὶ μέλιτος*, adeoq; à Petronianis multum diverſæ. An ex hoc noſtrum Germanicum Kreppel; qvo nomine die Pfannkuchen exprimuntur, alii videant.

§. 53.

Reſtat adhuc aliud ovum luxurioſorum delicium. Anteqvam Europa tot bellis arderet, *ſcribit Drexelius (Tom. 1. Op. l. 1. de Cœlo c. 3. §. 1. p. 202.)* in noſtra ſuperiore Germania varii eqveſtres ludi dabantur, plurimæ perſonatorum pompæ viſebantur in amplioribus præſertim civitatibus, qvæ ſæpius per annum ejusmodi Hilaria celebrabant. His ludis plerumq; intererant ova, ſed pretioſo liqvore fragrantia. Nam anguſtisſimo foramine ovi medulla ſolet efflari, & florum ſuccus infundi: Hæc ova honoris & amoris ſigna per ædium feneſtras dextrè injicere artis eſt. His ovis plenos ſæpè corbes onerabat feſtivus luxus, ut ea liberaliter huc illuc misſilia ſpargerentur. Ita imbres odoriferi ovis clauſi in domos notiores perpluebant.

§. 54.

Proſtat demum in Pharmacopoliis aureum ovum, (das güldene Ei,) ſeu de ovo Electuarium Maximiliani I. Imperatoris Romani, aut potius D. Simonis Riqvini, qvi illud contra ſudorem Anglicum ſumma cum laude adhibuiſſe dicitur *Flaminio*

Caſto-

Gaſtoni (*de Med. peſtil. in Pharmacop. Guravienſi Lit. d. ij*) cujus variæ habentur deſcriptiones, prout aliqvot collegit *Thomas Jordanus* (*tract. 3. de peſt. phænomen. pag. 515.*) *Wekkerus.* (*lib. 2. Antidotar. ſpecial. ſ. 21. col. 796. & ſeq.*) *Qvercetan.* (*Pharmacop. dogm. reſtitut. c. 21. p. 503.*) *Ludovic. von Hörnigk.* (*WürgEngel qvæſt. 197. p. 275.*) *Chriſtian Trochilli* (*Conſil. Med. de Peſte apud Th. Bartholin. Ciſt. Med. Locul. 3. p. 35.*) *D. Jac. Tabernæmontani* Antidotum de ovo communicat *Sennert.* (*Faſcic. Med. contr. Peſt. p. 640.*) Optima qvæ cenſetur *Pharmacopœa Auguſtana* (*Cl. 14. p. 259.*) inſerta legitur. Sed nec hæc omnibus placet, cum nux vomica, præſentaneum canibus & felibus, ob ſal volatile ſulphuri crudo indigeſto & narcotico combinatum, venenum, locum in illo obtineat. *Ipſi Auguſtani*, illud ingrediens ut omittatur, ſvadent, qvos ſeqvitur *Caſp. Hoffmannus* (*l. 2. de Med. Officin. c. 162. §. 130. p. 402.*) & qvod nux vomica etiam homini venenum ſit *Sennertus* (*l. 6. Med. Pract. part. 7. c. 20. p. 315.*) indicat, qvod qvidem non admittit *cum aliis* (*l. 8. Ord. & Method. Med. ſpec. commentat. ſ. 2. c. 32. p. 732. & l. 11. ſ. 2. c. 5. p. 908.*) *Rolfinck*, ſed hæc alibi diſcutiuntur. Habet præter hanc alias rationes qvæ ſuſpectam hanc compoſitioné reddere valent *Franciſcus Joël* (*Tom. 5. Op. Med. ſ. 2. p. 142.*) Cur verò ab ovo nomen ferat, eqvidem neſcio, niſi à figura ovali qva auro obductû cumprimis ab Empiricis venditur. Nihil præſtat vitelli, reliqva ingredientia ſuperantis vis Bezoartica, cum iſta in vitello vel ſummè debilis, vel nulla omninò ſit. Et qvamvis *Arnoldus de Villa nova* (*l. 3. Med. Pract. c. 22. p. 134.*) & *Chriſtianus Torchilli* (*c. l. p. 43.*) Vitellum crudum cum parte anatica ſalis communis Bubonibus & Anthracibus peſtilentialibus impoſitû tumores rupiſſe & aperuiſſe ſcribant, id facultati ejus emollienti potius, qvam bezoarticæ, dandum erit. Nucis vomicæ verò vim narcoticam corrigent & mitigabunt reliqva ingredientia vi bezoartica inſignita. Utut vero *Paulus Ritius*,

Medi-

Medicus Cæſareus (*teſte Conſilio Antiloim. pro urbe Brunſuic. Cl, 2. p. 49.*) ſcripſerit Imperatorem hoc ipſo Electuario aliqvot millia ſubditorum graſſante peſte ſervaſſe, aliud tamen Electuarium absq; vitello ovi præparatum, etiam qvoad ingredientia reliqva ab Electuario de ovo multum diverſum, ipſi jam octogenario in uſu fuiſſe *è Joh. Cratone* (*Conſ. Med. de Febr. peſtil. præſerv. & curand. col. 1090.*) conſtat.

§. 55.

Demum non â ſola figura, ſed ex alia cauſa rem ovalem dici poſſe corona Imperatrix ovalis ſatis evincit. Cum inibi, (*ex Nicephori l. 1. recenſuit Joh. Limnæus l. 2. Jur. Publ. c. 14.*) qvi præpoſiti erant gregibus gallinarum qvotannis omnia ovâ coacervarent, qvæ gallinæ poſuiſſent auroq; venderent, brevi tempore ex pecuniâ iſta Imperatrici Irenæ corona gemmis ex lapillis diſtincta confecta fuit, qvam ovatam Rex vocavit, qvod ex venditis ovis eſſet comparata.

DIS-

DISSERTATIO II.
DE
OVO PHYSICO
IN GENERE.

VIRIS

Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis,

DN. CHRISTIANO Kreßen / Circuli Miſnenſis Sudetici, & Præfecturarum Electoralium Schwartzenberg & Crottendorff Præfecto meritiſſimo.

DN. Wolff Christoph Witterlin / Auguſtoburgi,

DN. CHRISTIANO OTTONI, Wolckenſteini,

DN. CHRISTIANO Wohlen/ Stolbergæ,

DN. JOHANNI GODOFREDO Thum/ Franckenbergæ, Sachſenburgi & Lichtenwaldæ, Juſtitiæ & Redituum Electoralium

Præfectis

Fideliſſimis, meritiſſimis,

Dominis Fautoribus, & Amicis colendis,

Diſſertationem hanc Oologicam

D. D. C.

NUllum Themidi cum Apolline diſſidium intercedere rectè *celeberrimus Th. Bartholin.* (*a*) monuit. Quam ſæpè, qui Juriſprudentiam profitentur, ipſique graviſſimi magiſtratus Medicos conſulant, eorumque ſententiam expoſcant, ut illa adjuti ſapienter de rebus atque integrè judicare poſſint, neminem latet. (*b*) Ipſæ leges non niſi *Hippocratis* autoritate fultæ, natum in ſeptimo menſe fecerunt legitimum. (*c*) Medicam opem non rarò aliæ JCTorum Decreta præterea expoſcunt, &, non prius audita Medicorum ſententia, quid decernendum ſit ſæpius ambigunt JCTI. Promiſerat pridem Phyſicam Imperialem *Magnus noſter Major* (*d*) in gratiam Tironum juris ex Inſtitutionibus Juſtinianæis ſuccinctè adornatam, ne phyſicam aut medicinæ partes aliquas ad ſe parum pertinere credant. An prodierit deſideratum opuſculum dubito, hactenus namque, quamvis curioſè quæſitum, viſui noſtro ſe ſubduxit. Poterit tamen Phyſicæ, Medicinæ & Juriſprudentiæ nexus *ex Fortunati Fidelis Relationibus Medicis*, Pauli *Zacchiæ Quæſtionibus Medico-legalibus*, *Medicina Critica*, *Praxi vulnerum lethalium*, & *Irenico Numæ Pompilii cum Hippocrate B. D. Ammanni*, & aliquando *ex Medicina Forenſi accuratiſſimi Dn. D. Bohnii* clarius deprehendi. Cur igitur veſtro judicio & patrocinio hanc meam Oologiam, *Viri jurium Scientiſſimi*, ſubmittam non mirabimini. Præter juridicarum deciſionum evolutionem frequentiſſimam, & vos contemplationum Phyſicarum & Medicarum tenet ardor, quod ea jucunditate & utilitate allecti facitis, quam recenſuit & tantoperè deprædicavit *Tullius* (*e*) *Juris callentiſſimus.*

Novit & corpus Veſtrum ova cum pullis. Ita ova effringens de pullis tenetur, ſi modò ea jam avi ſuppoſita ſint, quia pulli certò naſcituri præſumuntur in odium contenentis. (f) Spectat huc elegans *Anonymi JCti Diſſertatio de ovo & pullo, quæ è Muſeo Andreæ Senftlebii primum prodiit, & etiam Theſauro Beſoldi Practico adaucto à D. Dietherro inſerta legitur.* (g) Et mutuum non habet genus aliud, quo fieri commodius poſſit, quam ovis ipſis: cum ſit in proverbio ovorum inter ſe ſimilitudo. (h) Ne plura addam Veſtra juris exacta ſcientia prohibet, id potius à vobis mihi contendendum, ne, quod à candida mente vobis offertur amicitiæ documentum, in ſiniſtram partem interpretemini. Sed ne & id mihi perſvadeam candor veſter facit, & affectus integritas, qua me per tot annos proſecuti eſtis, & adhuc proſequimini. Valete Fautores integerrimi, & mihi impoſterum affectum hunc conſervate perennem.

V. V. A. A.

Cultor ſincerus & perpetuus

AUTOR.

(a) Act. Med. Haſnienſ. Vol. 4. obſ. 81. p. 188. (b) Fortun. Fidelis præfat. in Relat. Med. (c) l. ſept. ff. de ſtat. hom. (d) Vid. Catalogum ſcriptorum Anat. Kilonienſ. adj. p. 23. (e) l. 1. d. Finib. f. m. 62. a (f) Stephan. Forcatul. Aviar. Jur. Civil. c. 5. n. 2. p. 14. (g) Lit. h. Tit. Henne p. 412. (h) Stephan. Forcatul. c. l. n. 4. p. 15.

SUM-

1. *OVum phyſicum.* 2. *Ova phyſica artificialia.* 3. *Ova lapidea.* 4. *Ovum lapideſcens.* 5. *Ova olivarum, mali Cotoneæ.* 6. *Fungus ovum.* 7. *Ovum Bovis.* 8. *Eqvi.* 9. *Formicarum.* 10. *Loculi oviformes* 11. *Ovum bivalvium.* 12. *Cochlea ovata.* 13. *Ovum Arabibus Cephalalgiæ ſpecies. Teſticuli viriles ova.* 15. *Molæ.* 16. *Os Anſerum ovatum.* 17. *Ovum Phyſicum qvid.* 18. *Qvid ſemen.* 19. *Semen generale qvid.* 20. *Aqva ſemen univerſale Orpheo.* 21. *Thaleti.* 22. *Brachmanis & Aliis.* 23. *Græci hanc ſententiam hauſere ab Ægyptiis.* 24. *Hi è Moyſe & creationis hiſtoria.* 25. *Fundamenta hujus in natura.* 26. 27. *Aqva qvid Ægyptiis & Thaleti.* 28. *Qvi ex Recentioribus hos ſeqvantur.* 29. 30. *Aqva qvibusdam matrix.* 31. *Qvibusdam materia.* 32. *Fermentum Helmontii efficiens.* 33. *Qvid Helm. Fermentum.* 34. *Qvotuplex.* 35. *Fermentum ſeminale.* 36. *Fermenta localia & diſperſa.* 37. *Localia delineantur.* 38. *Seminalia duplicia.* 39. *Fermenta tranſmutationum cauſa.* 40. *Productum fermenti ſemen.* 41. *Conſectaria Helmontiana.* 42. *Archeus qvid.* 43. *Variat.* 44. *Seminum neceſſitas.* 45. *Generatio anomala.* 46. *E putri.* 47. *Semen & fermenta.* 48. *Helmont. laudatur.* 49. 50. *Creatio & generatio ut differant.* 51. *Creatio ex Verulamio.* 52. *& Scherzero delineata.* 53. *Phyſica Moſaica rejicitur.* 54. *Creationis hiſtoria è Platone, Rabbinis & Cabaliſtis minus rectè illuſtratur.* 55. *SS. in Phyſicis autoritas.* 56. *Non loquitur ad mentem vulgi erroneam.* 57. *Paracelſi temeritas.* 58. *Helmont. infelix SS. interpres.* 59. *Moyſes Paracelſo non eſt Phyſicus.* 60. *Thaletis, Paracelſi, & SS. diſſenſus.* 61. *Creationem mundi ex revelatione ſcimus.* 62. *Naturæ Idolum.* 63. *Exeſſe jubetur.* 64. *Natura Atheorum Dea.* 65. *Natura naturans & naturata.* 66. *Naturæ Ariſtotelica definitio.* 67. *Helmontiana.* 68. *Examinatur.* 69. *Natura an ars Dei?* 70. *Negatur.* 71. *Phyſicæ nomen.* 72. *Chaos adhuc non datur.* 73. *Chemicorum luſus.* 74. *Maſſa Chaotica Kircheri exploditur.* 75. *Semen univerſale non eſſe in materia Chaotica.* 76. *Qvod naturaliter fit, ex ſemine fit.* 77. *Mixtorum differentia.* 78. *Vegetabilia & animalia ex ovo.* 79. *Plantæ Empedocli ex ovo.* 80. *Ova & fabas cur Orphici & Pythagoræi abominati.* 81. *Spontanea generatio rejicitur. Metalla, mineralia, & Lapides in aëre.* 82. *Metalla in vegetabilibus.* 83. *Denarius in tubere, arbor arma pariens.* 84. *Mineralia in plantis.* 85. *In*

ani-

animalibus. 86. *Plantæ ſpontaneæ.* 87. *Cœleſtes.* 88. *In aëre.* 89. *In turribus, tectis, rupibus, muris, ſtatuis.* 90. *Ex aqua.* 91. *E terra.* 92. *Subterraneæ.* 93. *E cineribus propriis.* 94. - *Ex herbis conciſis.* 95. *Plantæ in plantis.* 96. *In Brutis.* 97. *E partibus brutorum.* 98. *E Diis* 99. *Nævi plantas referentes.* 100. *In homine vivente plantæ.* 101. *Ex hominibus mortuis.* 102. *Plantæ in ſepulchris.* 103. *In Cranio & oſſibus humanis.* 104. *Pluvia animalium.* 105. *Vermes ex aliis Meteoris.* 106. *Ex aqua.* 107. *E terra.* 108. *Ranæ.* 109. *Mures.* 110. 111. 112. *Reliqua bruta & ipſe homo.* 113. *Græci indigenæ.* *Gigantes terrigenæ.* 115. *Palici, Tages.* 116. *Homo è putri.* 117. *Caro foſſilis.* 118. *E metallis & mineralibus inſecta.* 119. *E ſale.* 120. *Animalia in ſaxis.* 121. *Serpentes, piſces.* 122. *Canes.* 123. *Homines è lapidibus.* 124. *Verminatio plantarum.* 125. *Inſecta plantalia.* 126. *Vermes è fruticibus & arboribus, earumque lignis.* 127. *Plantarum ſpongiæ, ſtrumæ &c. vermiparæ.* 128. *Fruticum & Arborum.* 129. *Baccæ Chermes.* 130. *Veſiculæ vermiconda.* 131. *Perfectiora animalia è vegetabilibus.* 132. *Oſtrea in Arboribus.* 133. *Vermes grandeſcere.* 134. *Homines è plantis.* 135. *Vermes in brutis vivis.* 136. *In eorum partibus externis.* 137. *Ex animalibus mortuis.* 138. *Homines è piſcibus.* 139. 140. *Vermes in homine vivo.* 141. *In utero humano, aliquando fœtui juncti ſerpentes, mures &c.* 142. *Frater Longobardorum.* 143. *Suygers.* 144. *Vermes in tumoribus.* 145. *Phtiriaſis.* 146. 147. 148. *Cadaveris vermes.* 149. *Capilli in vermes.* 150. *Excrementa.* 151. *Baſiliſcus è menſtruo.* 152. *Homo an è carne humana ſub terra defoſſa?* 153. *E cadaveribus humanis mures.* 154. *Tranſitio.* 155. *Putredo nil generat.* 156. *Putredo quid ſit?* 157. *Cauſæ diſſolutionis miſtorum internæ.* 158. 159. *Externæ.* 160. *Fermentatio & putredo.* 161. *Calor non traſmutat.* 162. *Chemicorum.* 163. *Carteſianorum ſententia.* 164. *Æquivoca generatio Chymærica.* 165. *Nullum ex putrido inſectum.* 166. *Ovula putrido inferuntur.* 167. *Ova in aëre volitantia.* 168. *Ab homine attrahuntur.* *Phtiriaſis.* 169. 170. *Inſecta in Gallis, folliculis unde ſecundum* Malpighium. 171. *Semina plantarum verminantia.* 172. *Craane ſententia.* 173. *Objectiones.* 174. *Ova & vermes an cum aëre attrahantur.* 175. *Vermis Corylinus in ſerpentem & monſtrum mutatus, & Culex Titi fabula.* 176. *Ova deglutita non novam recipere ideam.* 177. *Nec in corpore commodè excludi.* 178. *Parva po-*

tius

tius animalia cum aqva abſorberi. 179. *Microcoſmi vermes à Megacoſmicis differunt.* 180. *Fr. Redi de vermibus plantarum ſententia.* 181. 182. 183. 184. *De Gallis.* 185. *De Gallarum ortu in qvibus diſcrepent Redi & Malpighius.* 186. *Redi ſententia probatur.* 187. *Falſa de Gallis decreta recenſentur.* 188. *Cui fini inſectorum copia deſtinata.* 189. *Ovorum ſeu ſeminum ſpontaneorum juxta Paracelſum ortus.* 190. *Secundum alios.* 191. *Fermentum locale.* 192. *Non ex qvolibet qvodlibet.* 193. *Animantatis unde anima.* 194. *In homine unde animalia.* 195. *Unde in cadaveribus?* 196. *Exempla allata expenduntur.* 197. *Pluviæ Metallorum, mineralium, Lapidum, patellæ Iridis, Venus aurea cœlo delapſa, aureæ glandes, vites. Denarius in tubere, rapa. Lapides qvercus.* 198. *Terra herbas non producit.* 199. *Pluviæ annonæ ſpuriæ.* 200. *Plantæ non ex aqva.* 201. *Plantæ ſubterraneæ, è cineribus, ex herbis concoiſis & defoſſis fungi, non ſemina.* 202. *Plantæ in animalibus unde?* 203. *Semina in corpore animalium vegetare, Paſtoris Tarraconenſis hiſtoria fabula.* 204. *Plantæ in cadaveribus.* 205. *Pluvia ranarum, buſonum, piſcium, murium expenditur.* 206. *Pluvia vermium, anatum & anſerum Sylveſtrium, vituli, nix ſangvinea, & cum carneis moleculis.* 207. *E nive qvomodo animalcula, è ſpuma cuculi, jaculo aſtrali, Rore.* 208. *Ex aqva & terra nullum animal.* 209. *Homo non è terra.* 210. *Qvibus viis in alterum Hemiſphærium homines pervenerint?* 211. *De Gigantibus, Salicis & Tage terrigenis.* 212. *Inſecta non è metallis.* 213. *Viventes vermes, buſones, piſces, canes in lapidibus unde?* 214. *Plantarum vermes.* 215. *Perſectiora animalia è plantis.* 216. *Homines non è fraxino aut blito.* 217. *Vermium in animalibus viventibus ortus.* 218. *De vermibus in ſangvine dubitatur.* 219. *Vermes & animalia monſtroſa in utero unde?* 220. *Phtiriaſis cauſa.* 221. *Animalia è cadaveribus & menſtruo.* 222. *Diſtinctio animalium in vivipara, vermipara & ovipara examinatur.* 223. *Rejicitur.* 224. *Ovum primum & ſecundum Aqvapendentis.* 225. *Harvæus laudatur.* 226. *Ova ex Atomis.* 227. *Corpuſcularis philoſophiæ præſtantia.* 228. *Atomi ſemina Philoſophis & Poëtis.* 229. *Cur ſannis Philoſophia atomica olim excepta.*

§. 1.

LUſtravi modò ovum Myſticum, Mythicum, Magicum, Mechanicum, Chemicum & Magiricum, jam, ut ad Phyſicum tranſeam, propoſiti ratio urget. Ut autem omnis accurata inqviſitio â generalioribus ad ſpecialiora provehitur; ita & hic de ovo phyſico in genere qvædam erunt præmittenda, priusqvam circa ovum minerale, vegetabile & animale mea occupetur & defatigetur meditatio.

§. 2.

Varia ex artificialibus ovi nomen præ ſe ferre, eò qvod ovi figuram referant, non ita pridem innui. Ovum patribus familias notum, qvod naturale videtur, ſi corticem ſpectes, artificiale tamen ſi interiora explores, adeoq; mixtum, ſi ita loqvi licet, aut ſi ex fine nomen imponere geſtias deceptivum (ita vinum deceptivum *Gabelchoverus Cent. 6. Curat. & obſ. med. 87. p. 210.* decoctum vini colorem referens vocabat) præmittere liceat. Nempè ſi gallina ovum comedat, ovi candido evacuato gypſum, aut aliud liqvidum infundatur, ut in teſtæ duritiem transeat, monent *Conrad. Heresbach. (l. 4. de Re Ruſt. p. 617.) & Joh. Coler. (l. 14. Oecon. c. 81. p. m. 521.)* Ovum etiam Phyſicum, ſed artificiale (*l. 1. Art. Magn. luc. & umbr. part. 3. c. 5. p. 81.*) deſcriptum dedit *Athan. Kircherus*: Aliqvando luſimus, *inqvit*, aqva facta ex Mercurio vivo ſublimato cum ſale Ammoniaco per deliqvium. In hac æs ferrumq; reſtinctum argenteo colore donatur. Si qvis laborem inſumere velit, & ſublimationem identidem repetere, ſublimata deinde aqva regia ſolvere, ſolutámq; digerere; habebit is magnum in natura ſecretum, ovum vid. phyſicum, cujus vitellus in medio rubet, aqva circumſtans pro albumine eſt, qvæ tingitur illo ſicut vitellus rubro. Philoſophicum hoc potius vocandum, anverò hæc ita procedant *cum Excellentiſſimo Dn. D. Claudero Amico ſincero*

(*in literis ad me datis*) dubito, cum plura ejus practica, ope plurimorum Societatis ſuæ, juſſu papali, collecta, fallere ſoleant.

§. 3.

In Lapidicinis non rarò globi pugnum, aut ovum anſerinum, aut gallinaceum æqvantes reperiuntur, qvos vulgus ova vocare conſvevit. Pyritem oviformem delineavit (*l. 4. de Therm. Bollenſ. c. 1. p. 39.*) *Joh. Bauhinus*: Ova Philoſophica lapides dicuntur, qvi in Haſſia effodiuntur cum argilla, hi aëri expoſiti calcinantur, & vitriolum dulce reddunt, *ſcribit Reiberus* (*Lex. Latin. German. Tit. Ovum col. 1810.*) *Fried. Hoffmann.* (*l. 3. Clav. Schroed. c. 2. p. 139. & c. 17. p. 317.*) Ovum angvinum Lapidem qvendam vocabat *Geſnerus*, & ante hunc *Plinius* (*l. 29. c. 3.*) eò qvod â ſerpentum artifici complexu glomeratorum ſalivis corporumq; ſpumis conflari Druidis dicatur, qvem de Brontiarum aut Ombriarum genere eſſe volunt, ſed hunc ab ipſis qvoad formam exteriorem diſtinxit *Anshelmus à Boot* (*l. 2. de Lap. & Gemm. c. 150. p. 153. c. 264. p. 240.*) & deſcripſit depinxitq; *cum Geſnero* (*l. d. Fig. Lapid. c. 15. cit. l. c. 174. p. 174.*)

§. 4.

Ova lapideſcere poſſe *Cardano* (*l. 5. de Subtil. p. 284.*) *placuit*, eò qvod candidum & luteum coctum auræ expoſitum ſuper lapidem adeò dureſcat, ut in lapidis etiam ſpeciem tranſeat. Ovi candido etiam Succinum adulterari, & ſolertiores huic varia animalcula includere *idem* prodidit. Maximè tamen album, qvàm luteum dureſcere, ſi ovum muria coqvatur, *è Libavio* (*l. 6. Hexaem. p. 564.*) ſcimus, qvi addit Chymicos ex eo adjecta tinctura fingere Corallia artificialia, qvanqvam non ſine lentore, cum pingvedo obſtet firmiori concretioni. Ambæ partes ovorum coctæ, & in camino poſitæ tranſeunt in lapides durisſimos, *alibi* (*l. 3. de Sanit. tuend. c. 23. p. 228.*) annotavit. Sed hæc non ita facilè apud omnes fidem invenient, æqvè ut *Cteſias Gnidius apud Ariſtot.* (*2. g. a. c. 3. p. 1249.*) qvi ſemen Elephanti induratum ſuccino ſimile reddi prodidit. Interim ex albo diu agitato

tatò & flore calcis gluten efficitur, qvo vitri partes adeò adhærent, ut alibi potius, qvam in ſutura, ſi occaſio detur, rumpi ſoleant, qvod iterum *Cardanus* (*c. l.*), ipſa experientia id comprobante, teſtatur. Ex ovi albumine præſtantisſimam Vernicem non ſolum parari poſſe *Paracelſus* (*l. 7. de Nat. rer. p. 902.*) innuit, & idem cum ſpiritu vini & ſalis coagulari docuit *illuſtris Boyle* (*Hiſt. fluid. & firmit. p. 2. ſ. 33. p. 103.*), accedentibus verò tincturis in Succinum mutari *Paracelſus* iterum (*c. l.*) prodidit. Hiſtoriam ovi in vitrum ſuccineum converſi deſcripſit (*Miſcell. Curioſ. Decur. 2. Ann. 3. obſ. 58. p. 146.*) *Dn. D. Joh. Blumius.* Certisſimum eſt, notat *Verulamius* (*Sylv. Cent. 1. Experim. 85. col. 776.*), ovum, qvod per multos annos in fundo foſſæ jacuiſſet, terra fortuito ſuperingeſta leviter tectum duritie lapidem æqvaſſe, coloresq; vitelli & albuminis diſtinctos conſervaſſe, teſtam vero reſplenduiſſe inſtar ſacchari aut alabaſtri tenuisſimis ſuis granis.

§. 5.

In Regno vegetabili nodos γόγγρυς *à Theophraſto* (*l. 1. Hiſt. plantar. c. 13.*) vocatos, ruſtici in Hetruria, *qvod è Cæſalpino Bauhin.* (*l. 12. Pinac. Theatr. Botan. ſ. 3. p. 472.*) *recitat*, ova olearum vocant, eò qvod ſata numeroſa ſobole germinent. Diſtingvit (*citato loco p. m. 15.*) *Theophraſtus* nodos in cœcos & fœcundos. Cœcos appellat qvibus multum germen enaſci poteſt, & hos non ſolum natura, ſed & læſio, & morbus producit. Vidi ante aliqvot annos in hortolino meo malum Cotoneam innumeris nodis undiqvaq; obſitam, adeoq; infœcundam. Hanc igitur, tanqvam inutilem, dum eradicare tento, &, cum omnis ferè arborum morbus in radice ſuum centrum habeat, radices intueor, numeroſos in fibris earum nodos, qvales ferè in radice Filipendulæ inveniuntur, deprehendo, qvibus abſcisſis, ſucceſſivè nodi in frutice evanuerunt, & tertio poſt anno mala Cydonia, qvamvis minora, frutex ferre cœpit, ſubſeqvente hyeme aſperrima verò, frigore

 enecta,

enecta, virere deſiit. Fœcundi nodi abſciſſi & terræ inſerti germen proferunt, qvales forſan olearum, qvamvis & hos morbos (*c. l.*) vocet *Theophraſtus*. Neſcio an huc referre debeam nodos in Tuliparum foliis obvios, â nullo tamen Botanicorum, qvos qvidem legi, obſervatos, qvos terræ creditos folia qvidem aliqvoties, flores autem nunqvam emittere obſervavi.

§. 6.

Eſt & è fungorum marinorum genere fungus fœtidus, Bataviæ inqvilinus, Hollandicus ideò dictus, qvamvis & Indici plantarum circa Brunſvigam creſcentium eundem inſeruerit *D. Joh. Chemnitius*, penis imaginem referens, phallus *Hadriano Junio* vocatus, & eleganti carmine ab eodem deſcriptus, qvi ob abominandũ, qvem ſpargit, fœtorem ab Hollandis ovi Dæmonis titulum tulit. (*Conf. Miſcell. Curioſ. Decur. 1. Ann. 2. obſ. 54. p. 107.*) Addo, ut *Arabibus* Bezon ovum & Bezaſon ova ſignat; ita Bezato Ibaldi Tubera terræ illis vocari. *Evolv. Golius* (*Lex. Arab. col. 359.*)

§. 7.

Regnum animale nobis Ovum bovis ſuppeditat. Hoc, *referente Cardano* (*l. 7. de Subtil. p. 373.*) non lapis, lapidi tamen ſimile, in ventriculo bovis invenitur magnitudine anſerini, ferruginео colore, leviſſimum ac leniſſimum. Cogitur ex cibi excrementis, & motu rotunditatem acqvirit, pituita cogente. Unde ſi frangatur, ex pilis conſtare videtur: durus eſt pro levitate tanta. Ita natura ludit, ut etiam qvandoq; boves ova pariant. *Hæc Cardanus*, cui adde *Joh. Jacob. Wagner.* (*Hiſt. nat. Helvet. ſ. 4. Artic. 2. p. 169. ſq.*) Fluxit inde proverbium: Ochſen legen eier. *Vid. Sachſius* (*l. 1. Gammarol. c. 14. § 8. p. 297.*) Id verò ridiculum & *Scaligeri* cenſura dignum judicabat *Ulyſſes Aldrovandus* (*lib. 1. de Qvadruped. biſulc. c. 1.*) Ridiculum etiam videtur *Caſp. Bauhino* (*l. de Lap. Bezoar. c. 12. p. 66.*) ejusmodi pilas ex pilis conglobatis conſtan-

ſtantes, ova, cum qvibus ne tantillum ſimilitudinis habent, appellare. Sed id æqvè ridiculum non videtur *Excell. Velſchio* (*Diſſ. 1. de Ægagropil. p. 6.*) neq; mihi, cum neq; lapis, neq; tophus, phyſicisq; ſolenne ſit à forma externa res, inſolitas comprimis, denominare, ſi vera nomina non ſupperant.

§. 8.

Potiori jure mihi ridendus videtur *Caſpar Schwenckfeld*, qvi (*l. 2. Theriotroph. Sileſ. p. 91.*) excrementa Eqvorum ovorum nomine dignatur, ita verò ille: Ovum unum atq; alterum eqvi avena paſti aceto aut vino diſſolutum, & per ſindonem colatum, addito ſucco Veronicæ, in colica & pleureſi auxiliare à Mulomedicis prædicatur remedium.

§. 9.

Ova Formicarum vulgò dicta pro ovis genuinis declarare non ſine cauſa veretur *P. I. Faber* (*l. 3. Panchym. ſ. 5. c. 2. p. 355.*) Enaſcuntur, *inqvit*, non ex ovis, non ex coitu, ut qvidam exiſtimant, ſed ipſæmet, dum morti proximæ ſunt, tumulum ſibi glomerant, ex aëre ſumendo materiam, vel ex viſcida qvadam materia, qvam in ovum effingunt, qvod tamen non verum ovum eſt, nam illud grandius multò eſt, & ipſimet veluti Bombyces effingunt, & in illo clauduntur tanqvam in tumulo, ubi putreſcunt, & ex illa putredine calore Solis in ſuperficie terræ enaſcuntur aliæ formicæ, prioribus ſimiles: Sic genus ſuum & ſpeciem propagant, & velut Phœnix ex morte reſurgunt, qvod tamen non miramur, ut & in Phœnice. Aliter ante hunc philoſophabatur *Ariſtoteles* (*l. 5. hiſt. animal. c. 25. p. 951.*) Coëunt Formicæ & vermiculum pariunt nulli annexum: qvi accreſcens ex minutulo & rotundo longiuſculus fit, formamq; accipit debitam. Vermem hunc ſimilem ovis delineat *Plinius* (*l. 11. c. 30.*) Ego maſſam hanc non tàm pro ovo, qvam formicæ imperfectæ adhuc, donec in perfectam tranſeat formicam, &

 ſibi

ſibi ipſi conſulere poſſit, conditorio habeo, qvod pellicula animalculum ambiente ab incommodis tuetur, nutrimentumq; neceſſarium continet & ſuppeditat, non tàm vermem anonymum, qvam formicam informem omnibus partibus adhuc non abſolutam excludit, & in illo aſſumto nutrimento, demum perficitur. Favent huic aſſerto egregiæ *egregii D. Edmundi King.* de Formicarum ovis obſervationes (*Act. Angl. Ann. 1666. M. Mart. obſ. 7. p. 343.*) qvæ evolvantur, cui aſſentitur *Excell. Joh. Chriſtoph. Becmannus* (*Diſſ. de Prodig. Sangv. c. 3. §. 1. p. 25.*) Ovum tale, in qvo fœtus latitat, delineavit *Nobiliſſ. Joh. Franciſcus Griendelius ab Ach* (*Micrograph. nov. obſ. 2. fig. 1. p. 12.*) Rectius igitur contra Ariſtotelem docuit *Albertus Magnus* (*l. 26. de Animal. f. 104. a.*) & *Cardanus* (*l. 7. de Variet rer. c. 28. p. 294.*) Formicam primo generare ova, qvæ in vermes albos panniculis involutos erumpunt, & ex his in ſuperficie ad ſolem expoſitis formicæ naſcuntur. *Add. Hieron. Fabric. ab Aqvapend.* (*c. l. c. 2. p. 15.*) Alia præterea ova formicas parere, eaq; reſinoſa, qvæ ſolis æſtu liqvefacta funduntur in reſinam gazophylacii inſtar in profunditatibus colliculorum deliteſcentem, qvæ Pſeudolibanum vocatur, annotavit *Joh. Chriſt. Steebius* (*Cœl. Sephirot. ſect. 1. n. 1242. p. 109.*) Diceres hanc gemmam formicinam, qvamvis alias gemma innatam repentis formicæ effigiem habens Myrmecites *Plinio* (*l. 37. c. 11.*) ſalutetur, de qvo (*Epiſt. d. Gemm. Formic. 2.*) plura *Michaël Gehlerus.*

§. 10.

Ova præterea cùm apud vulgum, tùm Philoſophos vocantur loculi alii oviformes, qvibus incluſa vermiculi forma animalcula perficiuntur, & in perfecta transmutantur animalia. De his *Ariſtoteles* (*l. 3. de generat. animal. c. 9. p. 1292.*) Omne hoc vermiculi genus, ubi ſuæ magnitudinis finem receperit, qvaſi ovum efficitur. Indureſcit enim putamen eorum, & tantisper immota redduntur. Qvod in vermiculis apum & veſparum, atq; in cru-

in erucis apertum eſt. Cujus rei cauſa, qvod natura præ ſua imperfectione qvaſi maturans ante, qvam perfectum ſit ovum, pariat, tanqvam hic vermis ad incrementum ovi mollis adhuc pergat. Hoc eodem modo in cœteris qvoq; evenit omnibus, qvæ non coitu oriuntur, vel in lanis, vel aliis hujuscemodi, atq; etiam in aqvis. Omnia enim poſt vermis materiam motu ceſſant, & putamine obareſcunt. Mox rupto putamine exit veluti ex ovo animal, tertia perfectum generatione, idq; pennatum magna ex parte. Et: (*l. 2. c. 1. p. 1244.*) Inſecta primò vermiculum pariunt, qvi, addito corpore, ſpeciem accipit ovi. Aurelia enim appellata ovi obtinet facultatem, tum ex eo animal naſcitur tertia mutatione (rectius atq; *Hieron. Fabricius ab Aqvapendente*, *qvi de Format. ovi & pulli part. 2. c. 1. p. 20.* iſta animalia non unicam, ſed duplam, aut triplam generationem ſubire, & in aliam ſpeciem, melius figuram dixiſſet, mutari aſſeruit) finem recipiens generationis. (*Add. Ariſt. l. 5. hiſt. animal. c. 19. p. 944.*) Duplicia igitur fecit ova (*c. l. c. 2. p. 46.*) *Fabricius*, prima & ſecunda. Ex primis ovis qvæ primordia generationis ſunt, vermis perpetuò gignitur; ex ſecundis verò, qvæ ab ipſomet verme fabricantur, papiliones gignuntur & exeunt. Scilicet volatile animal, qvod in putamine ſeu folliculo, ceu ovo, continetur, & concluditur.

§. 11.

Ovum ſic appellatum μαλακόςρακα bivalvia latere dextro, *ſecundum Ariſtotelem* (*l. 4. hiſt. Animal. c. 4. p. 906. & l. 4. de animal. c. 5. p. 1179.*) habent; altero latere oſtium excrementi continent. Sed errore (ὐκ ὀρϑῶς) *Eodem judice*, ovum id vocitatur, qvippe qvod tale ſit, qvale eſt pingve in ſangvineo genere cum viget, & è bona animalis nutritione, alimoniaq; provenit.

§. 12.

Cochleam ovi figuram exhibentem deſcripſit *Philippus Bonannus* (*Recreat. ocul. & ment. circa Teſtac. p. 2. cl. 3. n. 162. p. 132.*) Sunt & è con-

è conchis qvos â pulchritudine, ſplendore & levore venereas vocant, ovali figura, qvales depinxit Idem (*c.l. n. 240. 252. 257. p. 144. ſq.*) Ovum marinum Porcellanæ, è conchis venereis, vocatum deſcripſit & delineavit *Ampliſſ. Dn. Georg. Eberh. Rumphius* (*Miſcell. cur. Germ. Dec. 2. Ann. 5. obſ. 112. p. 222.*) Gallinæ loculis, qvibus ova generantur innumera, Indi conchylis matricem comparant; & ſic eniti conchyle. E labiis prodeuntes margaritas, ut maturas, & jam genetricis oſcitantis alvo egredientes reperiebant. *V. Petrus Martyr.* (*Decad. 3. Ocean. l. 10. f. 65. a.*) In inſula, qvæ vocatur delle Perle, in mari S. Michaëlis dicto, adeò pro comperto hoc habent incolæ, *addit laudatus Bonannus* (*c. l. Cl. 2. p. 94.*), ut hujusmodi & gallinarum omninò ſimilem dicant, qvaſi ſicuti ab iſtis ova; ſic ab illis margaritæ ſucceſſivè & qvaſi ſtatuto tempore maturæ emittantur.

§. 13.

Ova, ſeu potius oviformia corpora, in variis abſceſſibus tumoribus & cavitatibus corporis humani inventa ſupra. (*Diſſert. 1. §. 46. p. 37.*) in medium protuli. Mirabitur forſan qvidam cur *Arabes* & inter hos *Avicenna* Sodam ſeu Cephalalgiæ ſpeciem, qvæ eſt conſvetudinaria, & totum caput occupat, ovum vocet (*l. 3. Fen. 1. tr. 2. c. 1. f. 189. a.*) rationem verò ſubjecit *ille*, qvod ſicut galea, qvæ aſſimulatur ovo, armigerorum totum caput ambit; ita & hic dolor totius capitis ambitum infeſtat, triſtiq; ſenſatione afficit. (*Conſ. Arculan. in. 9. Rhaſ. c. 1. f. 3. a.*)

§. 14.

Teſtes comprimis viriles etiam ova appellavit *Avicenna* (*l. c. Fen. 20. tr. 1. c. 1. f. 371. b.*) qvod etiam *Cœlius Rhodiginus* (*l. 4. Antiqv. Lect. c. 7. col. 183.*) notavit. Ob ſimilitudinem id factum cenſuit *Sinibaldus* (*l. 3. Geneanthrop. tr. 2. c. 1. p. 287.*) & *Spigelius* (*l. 8. de Fabr. hum. corp. c. 16. p. 269.*) qvod eorum figura externa ovi columbini ſit,

ſed

ſed hoc perpetuum non eſt. *Vid. Regner. d. Graaf.* (*de Viror. Organ. generat. inſerv. p. 13.*) ſunt namq; utrinq; nonnihil depreſſi, *αὐτοψίᾳ* ſuffragante, *ſecund. Diemerbrock.* (*l. 1. Anat. c. 21. p. 165.*) Muliebres â viriliũ figura diſcrepare, & ſemiovales qvodammodo depreſſos Anatome ſiſtit. *Evolv. iterum Graaf.* (*de Mulier. Organ. c. 12. p. 173.*) Et hos non ovorum, ſed ovarii, titulum rectius mereri infra demonſtrabitur. Lubet hic *Joh. Goropii Becani* diſcurſum (*l. 4. Hermatben. p. 85.*) ſubjungere. Hebræi videntur, *ſcribit*, nomine ſuo ipſum votum creſcendi in ovo expreſſiſſe, ſi ad primam lingvam cauſa referatur: בֵּיץ enim â qvo בֵּיצִים qvid aliud eſt qvam Weſt ſeu creſce, ſeu creſcit, qvod optimè Lunæ (qvam *p. 84.* ovo comparabat) in gibbum tumeſcenti congruit: qvod nomen & Rabbini (*Vid. Lex. Rabbin. col. 298. Buxtorf.*) pro teſticulo ponunt, propter teſticulorum & ovorum ſimilitudinem, non in figura tantum, ſed humore etiam conſiſtentem, qvod utrobiq; poteſtate vitam habet; atq; idcircò bene audit Weſt ſeu Waſt, qvo incrementum in ambobus generibus optamus.

§. 15.

In greſſilibus qvidem animalibus qvid reperies, qvod ovo proportione reſpondeat, niſi qvem Medici appellant molæ conceptum? qvæ ſanè caro qvædam eſt inutilis atq; informis; qværit & reſpondet *Galenus* (*l. 13. d. U. P. p. 830.*) qvi ovo ſubventaneo, non fœcundo, molam ſcitè comparat. Ad hujus mentem *Zacutus* (*l. 3. Prax. Hiſtor. c. 16. p. 514.*) Molam definit, carnem informem & inutilem ovo ſubventanèo volatilium correſpondentem. Invenit qvæ in hac comparatione deſideret *Excell. noſter Pæon. Joh. Jac. Harderus* (*Apiar. obſ. 92. p. 344.*), Malè inſuper habet hæc comparatio *Joh. Bapt. à Lampzweerde* (*hiſt. nat. molar. ut. c. 18. p. 158.*) eò qvod claudicet, cum magna ſit diſparitas inter molam & ova ſubventanea, cum ovum ſubventaneum non ſit maſſa carnea, nec ex illo ulla generetur caro. Non nego

qvidem *Galenum* (*h. l. & l. 14. M. M. c. 13. p. 526.*) molam uteri informem aut indiſtinctam *ſecundum Cæſalpin.* (*l. 5. quæſt. 2. f. 113. a.*) carnem definire, eamq; nomen veræ molæ ſolum mereri qvæ carnea *Nicolao Piſoni* (*l. 3. de morb. cogn. & curand. c. 53. p. 809.*) *Joh. Heurnio,* (*l. d. Morb. Mulier. c. 6. p. 37.*) *Lampzweerdio* (*c. l. c. 2. p. 22.*) non repugno, interim cum mola ſæpius qvoad figuram externam molam referat, qvam ſolarem fœtum, Ein SonnenKind, mulierculæ *teſte Franciſco Joële* (*l. 8. Pract. Med. ſ. 3. c. 4. p. 279.*) vocitant, & è mola æqvè, ut ex ovo ſubventaneo, nil generetur, condonandum eſſe id facilè *Galeno* cenſeo.

§. 16.

In Anſeribus vetulis loco ovi os ovatum reperitur mira transmutatione; *notat Libavius* (*l. 6. Hexaem. ſ. 32. p. 570.*) Ipſe aliqvoties in gallinis vetulis talia oſſa cartilaginoſa variis iisq; magnis poris conſpicua, ovi columbini figura & magnitudine, animadverti, ſed pro ovis in os mutatis neutiqvam declarare potui, cum perfecti ovi magnitudinem non obtinuerint, & non ita pridem tale in capo mactato invenerim.

§. 17.

Ovum Phyſicum in genere qvid ſit, non facilè apud Philoſophos invenies. Commune rerum Elementum definierunt qvidam, ut eſt *apud Macrobium* (*l. 7. Saturnal. c. 16. p. 548. ſq.*) Semen rerum generandarum alii, qvidam principium (*Plutarch. l. 2. Sympoſ. qv. 3. p. 190.*) aut genituram corporum naturalium. Primordium illud vegetale non incongruè definit *Magnus Harveus,* ſubſtantiamq; qvandam corpoream vitam habentem potentia; vel qvoddam per ſe exiſtens, qvod aptum ſit in vegetativam formam ab interno principio operante mutari (*Exerc. 62. p. 270.*) Si liceret definirem, conceptum, Archei & humoris ſeminalis productum, ideam corporis, à qvo procedit, involvens, ut illa evoluta ſimile corpus illi, à qvo provenit, emergat. Archei & humo-

humoris ſeminalis productum dico, eò qvod non tantum è ſemine aut humore ſeminali fiat, ſed & ab Archeo ſecundum deſtinationem Creatoris irradietur, hujusq; radiis & afflatu fœcundum evadat.

§. 18.

Semen igitur ovo prius, nec ovum rectè ſemen aut genitura vocatur. Ovum rei cujus eſt, nec initium, nec finis eſt, dictitat *apud Macrobium* (*c. l. p. 549.*) *Diſarius*. Nam initium eſt ſemen, finis avis ipſa (aut alia corpora phyſica) formata, Ovum verò eſt digeſtio ſeminis. Semen principium eſt, differit *apud Plutarch.* (*c. l. p. 192.*) *Firmus*, ovum ſemine amplius, animali minus eſt. Ut enim profectus medium eſt inter indolis bonitatem & virtutem: Sic ovum profectus qvidam eſt naturæ à ſemine ad animatum corpus proficiſcentis. Eſt ergò ſemen animalis; ovum ſeminis, & ovum non tam ſemen, qvam ſeminarium *Libavio* (*l. 1. Epiſt. Chym. 20. p. 184.*). Semen autem *Helmontio* (*tr. imago ferment. impr. maſſam ſemine n. 12. p. 92.*) eſt ſubſtantia, in qva Archeus ineſt. Archeus opifex *Galeno*, (*l. 1. d. Semine c. 6. p. 555.*) architectus *celeberrimo ſupraq; noſtra præconia poſito Majori*, (*de Ærumn. Gigant. §. 12.*) ſpiritus architectonicus Chemicis. Archeus inde Faber & generationum Vulcanus *Helmontio* (*tr. Archeus Faber. n. 1. 3. p. 33.*) ſeu Vulcanus ſeminalis (*tr. Phyſ. Ariſt. & Galen. ign. n. 15. p. 41.*) qvi imaginem generati habet, ad cujus initium deſtinationes rerum agendarum componit. Conſtat nempè ex connexione vitalis auræ, velut materiæ, cum imagine ſeminali, qvæ eſt interior nucleus ſpiritualis, fœcunditatem ſeminis continens; cujus ſemen viſibile eſt tantum ſiliqva. (*Id. tr. Archeus Faber. n. 3. & 4. p. 33.*) qvod *ex Paracelſo l. 2. Paramir. c. 1. p. 38.* hauſit, qvi cum ſociennis & *Dominico Panarolo* (*Faſcic. 2. Arcan. p. 217.*) inter ſemen & ſperma diſtingvit de qvo infra pluribus. Et hic nos in utero (ovō, qvōd uterū expoſitum in oviparis qvidā *teſte Nicolao Stenone in Anat. Rajæ. p. 60.* vocarunt) format,

 ut ite-

ut iterum *Helmont.* (*tr. Ignotus hoſpes morbus n.77. p.401.*). Semen ſemen primû nominabat *Honorat. Fabri* (*l. 2. de Plant. prop. 75. p. 47.*) ovum igitur, ſi non fœtum dicere audeas, ſemen ſecundum ſeu proximum affirmare licebit.

§. 19.

Semen diſpeſcitur vulgò in generale ſeu univerſale, & particulare ſeu ſpeciale. Generale qvid ſit inter Philoſophos non convenit. Entelechiam hoc Ariſtotelem dixiſſe P. I. *Faber* (*l. 1. Panchym. c. 25. p. 57.*) aſſerit, locum verò, in qvo *Ariſtoteles* id protulit, non allegat, qvi nec mihi jam occurrit. Entelechiam autem paulò ante vocaverat ſpiritum mundi (*c. l. c. 23. p. 50.*) ſeu partem tenuisſimam omnium elementorum & cœli ſeu lucis, qvæ in terræ viſceribus ſimul unita tranſit & mutatur in ſemen mundi, è qvo prodeunt omnia, qvæ naturaliter fiunt in hoc mundo, & facta conſervantur. Puriſſimam partem totius naturæ creatæ nuncupavit *Idem* (*l. 3. c. 3. p. 285.*) Alibi tandem (*l. 5. ſ. 1. c. 11. p. 604.*) eſſe materiam primam aſſeruit. Ex elementis & ætherei ignis portione conſtituebat id *Kircherus* (*l. 12. M.S. ſ. 1. c. 1. p. 348.*) & ſub titulo Spiritus ſulphureo-ſalino-mercurialis venditabat. Vocat inſuper ſemen mundi, qvod in Sole, Luna, cœterisq; Planetis, veluti in ſolio qvodâ dominatur; cœleſtia verò corpora illud perenni influxu motuq; perpetuò communicant primo aëri, ubi miſtû proprio aëris ſemini propagatur in aqvâ; ubi pariter ſeminali aqvæ virtuti miſtum defertur in abditisſimos telluris ſinus; ubi ſimul perfecta miſtura terræ commixtû ſementi, à ſubterraneo Archeo caloris innati opifice, in ſemen perfectû omniû eorum, qvæ fœcunda mater tellus continua & indeſinenti generatione profert concoqvitur & digeritur. (*Itin. Ecſtat. 2. Dial. 2. c. 3. p. 582, & c. 4. p. 584.*) Id præterea admiratione dignû occurrere dictitat, (*l. 12. M.S. ſ. 1. c. 1. p. 340.*) ſi id terreſtribus matricibus concreditû fuerit pro ratione matricis, aut minerale, aut metallicû corpus, aut qvodcunq; tandê inanimatû corpus producat: hoc pariter à vegetabilibus attractum in ſemen vertatur animatum. Hoc iterum à ſenſitiva natura in nutrimentum aſſumtum in id transmuta-

mutatur, à qvo primum ortus ſui primitias obtinuerat: adeoq; in foſſilibus iſtiusmodi ſemen ſit inanimatum; in vegetabilibus anima vegetativa; in animalibus deniq; virtute vegetativâ & ſenſitiva; pro ratione mixti, cui jungitur, polleat.

§. 20.

Aqvam omnium rerum, primum & univerſale ſemen reputarunt ex antiqvisſimis Philoſophi. Iſtud effatum ἐκ τοῦ ὕδατος ὕλης κατέστη *Orpheus* reliqviſſe dicitur *Wowerio* (*not. ad Minuc. Felic. Octav. n. 139.*) & *Schirleo* (*de Orig. Corp. & Nat. Petrefact. ſ. 8. n. 167. p. 107.*) &, qvi qvædam hanc in rem ex Orphicis hymnis allegat, *Ouzelio* (*in not. ad Minut. Felic. Octav. p. 148.*) Fabulam *ſupra* (*Diſſ. 1. §. 10. p. 8.*) tradidi. Secutus *Orpheum*, qvi in omni re naturam ſecutus dicitur *Macrobio* (*l. 7. Saturnal. c. 13. p. 539.*) *Homerus*, qvando (*14. Iliad. v. 280.*)

Ὠκεανὸν δὲ Θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν,

vocabat, cujus mentem, ut plurima alia Homerica, *Virgilius* (*l. 4. Georg. v. 342.*) Oceanum rerum Patrem nuncupans, expresſit. Notanter verò *Gerh. Joh. Voſſius* (*l. 2. de Orig. & progr. Idolol. c. 76. p. 702.*) Oceanum à Neptuno diſtinxit, qvod ille notet aqvam qvatenus humor eſt principium rerum; hic eandem ſignet, prout eſt ex præcipuis mundi partibus, inde antiqvior Neptuno Oceanus.

§. 21.

Hanc *ab Homero Thaletem* accepiſſe conjicit *Jacobus Tollius* (*Fortuit. c. 11. p. 82.*) Aſſignarunt hanc ſententiam *Thaleti Ariſtoteles* (*1. Phyſ. c. 2. t. 6. p. 442. & 1. Metaph. c. 3. p. 1229.*) *Cicero* (*1. de Nat. Deor. fol. 7. a. & l. 4. Acad. qvæſt. f. 29. b.*) *Diog. Laert.* (*l. 1. de Vit. Phil. p. m. 18.*) *Plutarch.* (*l. 1. de placit. Phil. c. 3. f. 155. a. & l. de Iſide & Oſiride.*) *Vitruv.* (*l. 8. Architect. præf. p. m. 509.*) *Euſeb.* (*l. 1. de præp. Evang. c. 5. & 14.*) *Auguſtin.* (*l. 8. de C. D. c. 2.*) *Lactant.* (*l. 1. Divin. Inſtit. c. 5. f. m. 5. a.*) Et licet hoc ex ipſius ſcriptis oſtendere neqveamus, *ſcripſit Galenus* (*Comm. in 1. l. Hipp. de Nat. f. 25. p. m. 39. & 40.*) id tamen omnes habent pro confeſſo.

§. 22.

Et hoc etiam *Brachmanum* fuit decretum, ſi *Straboni* (*l. 15. Geogr. f. 130.*) fides habenda, *Pherecidis* etiam, *Pythagoræ & Platonis ſecundum Schirlæum* (*de Orig. Corp. & Nat. petref. ſ. 8. n. 172. ſq. p. 1090.*) *Hermeti Triſmegiſto & Heſiodo David von der Bekke* (*Exper. circ. ver. nat. princ. p. 291.*) tribuit. Qvamvis, qvod obiter, *Pherecides cum Heſiodo* terram potius pro principio rerum habuerit, *ut ex Pherecidis Libello de rerum principio, cujus Initium: Jupiter qvidem atq; tempus idem & Tellus erant ſemper Diog. Laërtius.* (*l. 1. de vit. Phil. p. m. 84.*) *tradidit*, ubi pro χρόν@ non ſine cauſa κρόν@ legiſſe mihi (*in notis ad hunc locum p. 21.*) *Iſaac. Caſaubonus* videtur. De *Heſiodo* ne dubites *Theogon.* (*v. 45.*) *ejus* evolvatur, qvi & Vulcanum è terra & aqva hominem compoſuiſſe (*in Op. & Dier. v. 60.*) cecinit. Qvi verò aqvam *Heſiodi* principium dixerunt, id *ex Plutarcho* (*l. Aqva an ignis ſit utilior ſ. m. 129. b.*) hauſerunt, qvi Chaos Heſiodi, ex qvo omnia, multos aqvam interpretaſſe retulit, eò qvod propter ſimplicitatem Chaos παρὰ τὴν χύσιν, qvod & fluere & fundi poſſit, dictũ ſit. *Thaletis* veſtigia ſecutus *Hippias & Hippo*, ille qvidem *Ariſtoteli* (*1. Metaphyſ. c. 3. p. 1229.*) inter philoſophos non numeratus, qvorum hic etiam animam ex aqva conſtare, *teſtante id Satyra Menippea: Cras credo hodie nihil. p. 90.*) prodidit. Superaddidit his *Anaximenem*, qvi & ipſe Mileſius, *Clemens Alexandr.* (*Admon. ad Gent. p. 32.*) Succinit etiam *Thaleti Pindarus*, ut *ex Auſonii Ludo ſeptem ſapientum* conſtat, qvi *Thaletem* iſta loqventem introduxit:

Mileſius *Thales* ſum, Aqvam qvi principem
Rebus creandis dixi, ut Vates *Pindarus*.

ita verò *ille* (*1. Olymp.*) infit:

Ἄριστον μὲν ὕδωρ.

in qvem

in qvem locum *doctè commentantem* legere poteris (*p. 70.*) *Eraſmum Schmidium.* Alio tamen planè ſenſu Pindaricum illud expoſuiſſe *Ariſtotelem* (*l. 1. Rhetor. c. 7. p. 625.*) conſtat. Vid. & *Paulus Caſatus* (*Diſſ. 1. de Igne p. 6.*) *Vitruv.* (*c. l. p. 510.*)

§. 23.

Sed & hæc doctrina Ægyptum, è qvo ſua tranſtulerunt eò profecti Sapientes, patriam multis agnoſcere videtur. Hi namq; Oſiridem & Iſidem, æq; ac Græci Oceanum & Thetin, tanqvam primos Deos, venerabantur. Præferri autem Oſiridi urnam, *ſcribit Joh. Pierius Valerianus* (*l. 56. Hieroglyph. c. 21. p. 696.*) in ſacrificiis, qva Deum colerent, mos erat. Hydriam enim ingentem ſummo cultu, & attonita penè veneratione proſeqvebantur, qvam oblatam & caſta religione ſuſceptam in ſacram ædem ſolenni pompa geſtabant, qvo cum perveniſſent, terræ procumbentes manibus ad cœlum ſublatis iis gratias agebant, qvi primæ divinæ benignitatis munera mortalium uſui communicaſſent, utpote qvi ex humore oriri omnia perſvaſum habebant. *Add. P. I. Fabrum.* (*l. 4. Panchym. ſ. 1. c. 9. p. 439.*)

§. 24.

Hos verò ex Moyſe ejusq; creationis hiſtoria id hauſiſſe multorum eſt ſententia, inter qvos *Rob. Fluddus* (*Proëm. in Hiſtor. Macrocoſm. p. 14.*) *von der Becke*, (*c. l. p. 294.*) *Schirlæus* (*c. l. n. 166. p. 106.*) Qvare ut hanc ſententiam ſacris literis conformem redderent, creationis hiſtoriam excuſſerunt *Helmont.* (*tr. Elementa n. 3. & 4. p. 42.*) & *Boyle* (*p. 2. Chymiſt. Scept. p. 60.*) *Citatus Fluddus* *Petri Apoſtoli* teſtimonium allegat, qvod, ut ſe *Philoſ. Peripat. & Med. Hippocr. ad Sophiæ Palæſtram provoc. Propoſ. 4. p. 490.*) explicat, *2. Epiſt. c. 3. v. 5.* habetur, ubi ſcribitur; qvod cœli fuerint ex aqva, & per aqvam conſiſtentes Dei ſermone. *Conf. ingenioſiſſimum Jac. Tollium* (*c. l. c. 18. p. 138.*) qvi in ipſo textu nobile *Thaletis* principium confirmari aſſeruit.

§. 25. Fu-

§. 25.

Fuere tamen & in natura veſtigia, qvæ ut id crederent Pagani, eosdem compulerunt. Recitat hæc *Ariſtoteles* (*l. 1. Metaph. c. 3. p. 1229.*) cujus mentem planius expresſit & interpolavit *Verulamius* (*Parmenid. Teleſ. & Democrit. Philoſ. col. 655.*) qvando ſcribit: Videbat (*Thales*) materiam præcipuè diſpenſari in humido, & humidum in aqva. Conſentaneum autem eſt, illud rerum principium ponere, in qvo virtutes Entium, & vigores, præſertim Elementa generationum & inſtaurationum potisſimum invenirentur. Genituram animalium humidam; etiam plantarum ſemina & nucleos, qvamdiu vegetarent, nec effœta eſſent, tenera & mollia. Metalla qvoq; liqveſcere & fluere, & eſſe tanqvam ſuccos aqvæ concretos, vel potius aqvas qvasdam minerales. Terram ipſam imbribus aut irrigatione fluviorum fœcundari & inſtaurari, nihilq; aliud videri terram & limum, qvam feces & ſedimenta aqvæ. At aërem planisſimè eſſe aqvæ expirationem atq; expanſionem. Qvin & ignem ipſum non concipi, neq; omninò durare & ali, niſi ex humido & per humidum. Pingvedinem autem illam humidi, in qva flamma & ignis ſuſtentantur & vivunt, videri qvandam aqvæ maturitatem & concoctionem. Corpus rurſus & molem aqvæ per univerſum, ut fomitem communem, diſpertiri. Oceanum terræ circumfundi: vim maximam aqvarum dulcium ſubterraneam, unde fontes & fluvii, qvi venarum inſtar aqvas per terræ & faciem & viſcera deportent. At immenſas vaporum & aqvarum congregationes in ſupernis eſſe, utq; aliam qvandam aqvarum univerſitatem, utpote â qva inferiores aqvæ, atq; adeò Oceanus ipſe reparentur & reficiantur. Et ignes cœleſtes exiſtimabat aqvas illas & vapores depaſcere. Neq; enim aut ſine alimento ſubſiſtere, aut aliunde ali poſſe: figuram autem aqvæ, qva in ejus particulis (guttis videlicet) cernitur, eandem nempe cum figu-

figura univerſi eſſe, rotundam nempe & ſphæricam: qvin & undulationem aqvæ etiam in aëre & flamma conſpici; motum deniq; aqvæ habilem, nec torpeſcentem, nec præfeſtinum. *Hactenus qvidem Verulamius.*

§. 26.

Qvid autem per aqvam intellexerint cùm *Ægyptii*, tùm *Thales* & ejus aſſeclæ, prius, anteqvam progrediamur, diſpiciendûm. Aqvam Elementalem his in mentem veniſſe, non facilè qvispiam dicet, cum illa ſimplex eſſe debeat & purisſima, *ſecundum Stephan. Rod. Caſtrenſ. (l.1. de Met. Micr. c.18. p.39.)* adeoq; in hac univerſitate nullibi aut difficulter inveniatur, &, ſi ſit, videri non posſit *juxta Petr. Joh. Fabr. (l. 1. Panchym. c. 17. p. 38.)* Flüvii enim tantûm ejus ſunt rami, ut habet *Parac. (l. 4. Philoſ. tr. 1. p. 49.)* und alle Früchte der gantzen Globul iſt das Abriſſach, und fället von den Aeſten dieſes Baumes. Noſtra namq; tàm ſimplex non eſt, ut vulgò creditur, *judice Joh. Baptiſt. du Hamel (l. 1. de corp. affect. c. 2. n. 14. p. 24.)* cum & putreſcere ſoleat, & corrumpatur, nec vix concipi posſit, *ut idem (l. 3. de conſ. vet. & nov. Philoſ. c. 4. n. 1. p. 738.)* qvomodo ex uno principio tanta rerum varietas oriatûr. Qvod ſi aqvam, qvalem nos habemus, conſtituant, aut aqvam viſcoſam ovali forma continuam in loco pendentem & Spiritu Dei involutam *prout Joh. Otto Helbig. (Introit. ad veram & inauditam Phyſicam p. 6.)* non meretur nomen principii primarii, ſed *optimè judicante Joh. Franciſc. Vigani (Medull. Chym. p. 2.)* in claſſem ſecundariorum collocabitur.

§. 27.

Omnium optimè hanc Philoſophorum ſententiam explicuiſſe mihi videtur *Martinus Schookius (Phyſ. general. Diſp. 2. th. 14. p. 37.)* Qvantum ad jam dictos Philoſophos, *ſcribit*, putandum eos ſic unum aliqvod Elementum ſtatuiſſe, ut illud definiverint ſecundum aliqvid, qvod in omnibus corporibus naturalibus ad modum

dum primi communisſimiq; principii, ſi non ſubjectivi, ſaltem effectivi, posſit occurrere. Nam qvod ad *Heraclitum*, *pergit*, qvem *Hippaſus* & omnes Stoici *cum Zenone* ſecuti fuerunt, ignem non tàm materiam communem, qvàm cauſam efficientem apprehenderunt, ob vim ejus agendi admirabilem, ſeu qvod propter tenuitatem ad ſubtilisſimas particulas corporum naturalium penetrare posſit. Similiter aër *Anaximenis*, qvem ſecuti fuerunt *Anaximander* & *Diogenes*, accipi debet pro ſpiritu, qvi ſuo interventu omnia perficiat. Aqva verò *Thaleti* (eum ſeqvuntur *Hippon* & *Hippias*) placuit; qvod, ut *ipſe* obſervat *Ariſtoteles* (*l. 1. Metaph. c. 3.*) nutrimentum omnium rerum humidum eſſe videatur: Deniq; terra *Pherecidis* (ab eo ex antiqvis ſtant *Heſiodus*, *Procopides aliiq;*) non tantum admiſſa eſt, tanqvam communis materia, (qvamvis in omnibus corporibus mixtis terra prædominari videatur) qvàm potius velut commune ſubjectum & mater, qvæ ſuo ſinu omnium rerum naturalium prima rudimenta complectitur. Dilucidat hanc ſententiam iterum (*l. 2. de augm. ſcient. c. 13. col. 62.*) *Verulamius*. Alii, *inqvit*, licet unum principium rerum aſſererent (aqvam *Thales*, aërem *Anaximenes*, ignem *Heraclitus*) tamen illud ipſum principium actu unicum, potentia varium & diſpenſabile poſuerunt, ut in qvo omnium rerum ſemina laterent.

§. 28.

Et hanc Philoſophorum mentem ſecuti ſunt *Joh. Bapt. van Helmont.* (*tr. cauſa & initia naturalium n. 23. p. 29. tr. Element. miſt. figm. n. 1. p. 85. ſq. & alibi.*) *Rob. Boyle* (*p. 2. Chym. Scept. p. m. 62.*) *Dav. von der Bekke* (*c. l.*) *Th. Schirlaus* (*c. l.*) *Eduard. Bolneſt.* (*Præf. in Autor. Chym.*) *Sylv. Ratray* (*de Cauſ. Sympath. & Antip. in Theat. Sympath. & Antipath. p. 33.*) *P. I. Faber* (*pasſim, imprimis. l. 3. Panchym. c. 1. p. 283. c. 9. p. 292. l. 4. c. 10. p. 425. & l. 1. Secret. Chym. c. 10. p. 363.*) *Alb. Otto Faber* (*de auro potab. Med. p. 28.*)

Fried.

Fried. Hoffmann. (*l. 1. Clav. Schrœd. c. 11. p. 10.*) *& qvos præterea citavit Dan. Georg. Morhofius* (*de Metall. Transm. p. 13.*) Nec ab hac opinione abfuit *Paracelſus* (*l. de Mineral. p. 131.*) dum aqvam ſacco comparat, in qva rerum omnium ſemina, & ſemen trium primorum in aqva latitare ſcripſit (*tr. 1. de Peſtilit. p. 330. & de Mineral. tr. 1. p. 129.*)

§. 29.

Et cum hodiè inter doctos hæc obtineat opinio, illam paulo prolixius ex mente illorum, & comprimis *aqvei per aqvam Philoſophi Helmontii* declarare eſt animus. Conſiderant autem qvidam aqvam tum in creatione, tum in productione & generatione rerum; qvidam ut matricem, ut materiam alii.

§. 30.

Ut matricem qvidem *Paracelſus* & *Paracelſiſtæ*. Ut enim ille in genere Elementa matrices dixit, in qvas tria prima deferuntur (*l. 2. de orig. morb. ex trib. ſubſt. prim. c. 2. p. 41.*) matricesq; tantum accipere, nil autem dare (*Labyrinth. Med. c. 11. p. 280. l. 1. Phil. ſagac. c. 5. p. 372. & c. 11. p. 420.*) *P. I. Faber* (*l. 3. Panchym. c. 3. p. 285.*) *Add. Petr. Severin.* (*id. Med. Philoſ. c. 5. p. 46.*) *Heinric. Nollius* (*l. 2. Phyſ. Hermet. c. 1. p. 111.*) ita & aqvam matricem omnium creaturarum ſalutavit *Paracelſus* (*tr. 1. de Peſtil. p. 329.*) Primam omnium rerum matricem *idem* vocat aqvam ſuper qva portabatur Spiritus Dei, in qva creata cœlum & terra (*l. Azoth. p. 531.*)

§. 31.

Ut materia ex qva ſeu principium rerum materiale aqva aliis perhibetur. Qvod ad creationem, unicum ſolum elementum radicale, ex qvo cœli & terra ſunt creata, aqvam ſeu materiam humidam & ſpiritualis conditionis cujus contractione terra & viſibilia ſunt facta, ejus verò dilatatione cœlum & ſpiritualia *Rob. Fluddus* (*l. c. §. 21.*) aſſeruit. Aqva creata primum

concrevit in gelatinam (ut glúten aqvæ, ex qvo ranæ) ſeu coloſtrum glutinoſum, ceu ſubſtantiam mediam inter aqvam & concretum perfectum, ex hac tria regna, judicat *Albert. Otto Faber* (*de auro potab. med. p. 28.*) Qvod ad generationem *Helmont* duo corporum & cauſarum corporalium poſuit prima initia (*tr. Cauſæ & initia naturaliũ n. 23. p. 29.*) Elementũ aqvæ ſimplicis, (*tr. Prog. Met. n. 6. p. 55.*) nimirum ſeu initium ex qvo: & Fermentum ſeu initium ſeminale (qvod ſemen ſeu vulcanum & auram qvandam vitalem vocabat *tr. Phyſica Ariſtot. ign. n. 7. p. 40.*) per qvod id eſt diſpoſitivum, unde mox producitur ſemen in materia: qvæ acqviſito ſemine fit eo ipſo vita ſeu materia illius entis media, diſcurrens in rei usq; periodum ſeu materiam ultimam. Initium igitur univerſale, qvod aqva eſt, eſt unica rerum cauſa materialis, qvatenus aqva initii materiam in ſe habet, in modo, puritate, ſimplicitate ac progreſſu initiandi, prout & in termino diſſolutionis, ad qvem cuncta corpora per materiæ ultimæ reductionem redeunt (*tr. cauſ. & initia rer. nat. n. 31. p. 30.*) Et aqvam omnium naſcentium materiam conſtituit (*tr. Elementa n. 5. p. 43.*) *Add. Paracelſ.* (*tr. 1. d. Peſtilit. p. 328.*) *Joh. Coleſſon.* (*Id. perfect. Phil. Hermet. p. 155.*) *Jacob. Barner.* (*p. 1. Chym. Philoſoph. c. 2. p. 19.*)

§. 32.

Fermentum Efficientis partes *Helmontio* ſuſtinet ſeu initium ſeminale, per qvod id eſt diſpoſitivum, unde mox producitur ſemen in materia (*tr. cauſa & initia natural. n. 23. p. 29.*) Qvamdiu igitur aqva ſemine priva eſt, nunqvam ulla inde provenit generatio (*tr. Progymn. Meteor. n. 13. p. 56.*) Fermentum tamen qvamvis principii veri naturam teneat, â cauſa efficiente in hoc diverſum ipſi ſtatuitur (*tr. cauſ. & init. nat. n. 28. p. 30.*) qvod cauſa efficiens conſideretur tanqvam immediatum principium activum in re, qvod eſt ſemen, ac velut principium motivum ad generationem ſeu initium rei conſtitutivum. Fermentum verò ſemi-

ſemine ſæpè prius, & hoc de ſe generat. Agens tamen â Fermento non diſtingvi poſt (*n. 39. p. 31.*) docuit. Et ſi malit Lector cauſam efficientem confundere cum rerum fermento, & materiam corporum cum aqvæ elemento diſtinctus eſſe deſinit lubens (*n. 33.*)

§. 33.

Definit Fermentum *Idem* (*c. l. n. 24. p. 29.*) in genere: Ens creatum formale, qvod neq; ſubſtantia, neq; accidens, ſed neutrum per modum Lucis, Ignis, Magnalis, Formarum &c. conditum â mundi principio in locis ſuæ monarchiæ, ut ſemina præparet, excitet & præcedat. Et iterum (*n. 25.*) Sunt Fermenta dona ac radices â Creatore Domino ſtabilitæ, in ſeculorum conſummationem, continua propagatione ſufficientes atq; durabiles, qvæ ex aqva ſemina propria excitent & faciant.

§. 34.

Duplex Fermentum conſtituit (*c. l. n. 30. p. 30.*) unum principians, ſeminale alterum. Principians, qvod & formale (*n. 26.*) nuncupat, eſt originale rerum initium, vis indita terræ & locis, non autem rebus ſeminalibus conſtitutis (*n. 29.*) Eſt vis locis inſita â Creatore Domino ibidem locata ad fines in ſucceſſione dierum ſibi ordinatos. Vocat etiam fermenta ſtabilia locorum (*n. 31. p. 30.*) qvæ tanqvam prima univerſalia, ſimplicia atq; inchoativa initia ſeminum, ſeu cauſarum naturalium efficientia eſſent; qvæ ſcilicet elementum aqvæ in ſe, in aëre vel in terra imprægnarent. Ejusmodi fermentum in elementorum finibus conditum immutabile & conſtans perſeverat, nec viciſſitudini aut morti ſubjectum. (*n. 30.*)

§. 35.

Seminale Fermentum eſt prioris productum, & effectus ſeminis individualis, ideoq; caducum & interiens. In ſemine hoc â parente inditur, & cum eodem identitatem ſubit, vel ali-

unde â cauſis externis materiæ imprimitur. (*ibid.*) Labilia hæc ipſis Fermenta, qvod â parentibus hauſta materiam præparatam duntaxat concernerent, & in ſeminum ſinu immediatè ſederent, ideoq; & inteſtinam mortis neceſsitatem continerent. (*n. 31.*)

§. 36.

Fermenta porrò diſpeſcit in localia & diſperſa. Qvippe rerum Conditor qvibusdam fermentis loca deſignavit propria ac ſtabilia (principiantia videlicet *de qvibus §. 34.*) in Elementorem condo, tanqvam ſeminum promtuario, in eo efficientium prototypos. (*n. 30.*) Loca iſta *Helmontio* ſunt terra, aër, aqva. (*n. 25. 26. 27. & 31.*) Dedit nempe terræ (*ratiocinatur n. 25.*) ex ſe germinandi virtutem, dedit Fermenta totidem, qvot fructuum expectationes, ut etiam ſine ſemine præcedentis plantæ poſsint ex aqva ſuos liqvores, & fructus prolificare. Proferunt itaq; fermenta ſemina ſua, nec aliena. Id eſt ſingula juxta ſui naturam & proprietates, qvod dicit *Poeta*:

Qvippe ſolo natura ſubeſt. Nec
omnis fert omnia tellus.

Ineſt namq; locis, (*pergit n. 26.*) ordo qvidam divinitus inditus, ratio qvædam & radix immutabilis producendi ſtatutos qvosdam effectus ſeu fructus; nec qvidem duntaxat vegetabilium, ſed & mineralium & inſectorum. Differunt namq; terrarum fundi & proprietates, idq; propter aliqvam cauſam terræ iſti connatalem & coævam. Hanc nempè fermento formali inibi creato attribuo. Unde conſeqventer diverſi fructus diverſis locis pullulant, & ſponte erumpunt, qvorum ſemina alio translata imbecillius provenire videmus, ceu fœtus ſuppoſititios. Qvod autem de fermento terræ indito dixi, id ipſum pariter in aëre & aqva reperies. (*Add. tr. Magnum oportet. n. 38. p. 126.*)

Principia hæc activa ſpermatopoëtica in ævum duratura vocat *ſylv. Ratray* (*c. l. p. 34.*) Diſperſa fermenta *Helmontio* ſunt illa, qvæ rerum Conditor rebus per individua ac ſpecies, ac ſi eſſent loca, diſpergit. (*tr. Cauſæ & initia natural. n. 31. p. 30.*)

§. 37.

Horum Fermentorum localium delineatio cum perfunctoriè leviter & obſcurè delineata *ab Helmontio*, *ſecundum Ratray* mentem, facta ſit, ille accuratiorem & pleniorem illorum indicem *c. l. p. 35. & 36.*) dare annifus eſt. Primò igitur loca fermentorum ponit vel in terra, aëre, aqvis, vegetabilibus, animalibus vivis & mortuis, & eorum partibus (etiam excrementitiis) & mineralibus. (2.) Loca in terra, aëre & aqva ſunt vel in Septentrione vel oriente, vel occidente, vel auſtro. (3.) Sunt in particularibus regionibus, ita verum Saſſafras creſcit in Florida; Radix Chinæ in China. (4.) Sunt in particularibus locis omnium ferè regionum, qvalia ſunt prata, loca uda, ſylveſtria, aqvatica, olida & uliginoſa, paluſtria, ſtagnantia, umbroſa, fracida, arenoſa, maritima, arida, ſaxoſa, & petroſa, inculta, pingvia, in colliculis, ſub ſepibus, apud rivulos, inter ſegetes, in rivis, in ericetis, apud aqvarum ſcaturigines, flumina, rudera, in aliis herbis v. g. Epithymum, Cuſcuta, in fontibus, in vallibus, apud radices arborum, ut Polypodium (uva qvercina de qva *Encel. l. 3. de Re metall. c. 51. p. 238.*) in arbore ut viſcus, Hedera, Fungi &c. In ſuperficie aqvarum, ſub aqvis, in tectis, in tegulis, in parietibus antiqvis, in montibus, in concavis cryptarum & puteorum. In Homine pediculi, lendes, vermes, in Fraxino cantharides, in Pino bupreſtes; ita omnes plantæ ſibi peculiares gignunt erucas aut vermes (*vid. Athanaſ. Kircher. Scrutin. Peſt. ſ. 1. c. 7. §. 1. p. 66. & §. 2. Experim. 3. p. 72.*) ita etiam animalia, uti vegetabilia habent ſua determinata loca & fermenta, & qvamvis non naſcantur ex fermentis locorum (qvod tamen de animantatis dici non poteſt) tamen

non

non vivunt, neq; generant in omnibus locis, ut non omnia vegetabilia ubiq; creſcunt. Ex anate putrefacto ſub fimo fiunt bufones, ex pilis eqvinis in aqvam projectis angvillæ, ex ſterrore columbino aut anſerino, aut urina hominis pulices, ex eqvino ſcarabæi, ex humano lumbrici, ex vapore ſudoris cimices, ex vitulo mortuo apes, in lana tineæ, in frumento fracido curculiones, glires & mures. *Hæc Ratray.*

§. 38.

Duplicia præterea adhuc in natura dari Fermenta (de ſeminalibus absq; dubio loqvitur,) profitetur *Helmont.* (*tr. imago Fermenti impregnat maſſam ſemine n. 8. p. 91.*) unum qvidem in ſe continet auram fluxibilem Archeum ſeminalem, qvi ſuo influxu in animam viventem aſpirat. Alterum verò ſaltem continet initium motus ſeu generationis rei in rem. Qvandoqvidem licet ſui initio non haberet auram ſeminalem, qvæ ſcopos rerum agendarum complectatur; mox tamen vapore potitur, qvem fermenta tàm localia, qvàm qvæ ipſamet materiæ diſpoſitio externis fomentis acqvirit ſuſcitant. Unde Archeo aliqvid ſimile fit, qvod ſe ſuumq; ſenſim hoſpitem transmutat, aptat, adaugetq;, agit porrò deinceps reliqva ad proportionem perfectionis, & reqviſitum auræ illius. Hoc nempè ſemen qvadam primùm & generica amplitudine luxuriat. Nam tametſi gaudeat ſubſtratam ſibi maſſam ad fermenti concepti ſcopum direxiſſe, non rarò tamen aliunde fomites occultioris luminis ſuſcipit, ſumtoq; temerario auſu etiam in animam viventem aſpirat. Hinc pediculi, cimices, pulices, & lumbrici hoſpites ac vicini fiunt noſtræ miſeriæ, noſtrisq; velut naſcuntur è penetralibus & excrementis.

§. 39.

Fermenta iſta ſunt transmutationum cauſæ, neq; unum in aliud mutatur absq; fermento, *pergit Helmont.* (*c.l. n. 14. p. 92.*) & fer-

fermentum transmutationum parens *Ipſi* audit. (*n.23. p.93.*) *qvi addit*; fermenta eſſe cauſas primitivas transmutationum & qvidem à priori, atq; actu nil eſſe qvod vi fermentali ex pleno reſpondeat, atq; adeò neceſſum eſt illorum ſimilitudines à poſteriori duntaxat hauſtas claudicare plurimum (*tr. Sextuplex digeſtio alimenti humani n. 8. p. 161.*) Qvocirca qvot in nobis digeſtiones, totidem adæqvatè fermenta invenit (*c. tr. n. 2. p. 167.*) Qvi & non ſegniter notavit, qvod partes ſingulæ, ſingula obtineant fermenta, cum hoc ſit in transmutando inexcuſabilis neceſſitas. (*n. 6.*) Ideò & omnis transmutatio formalis præſupponit fermentum corruptivum (*tr. complex. atq; miſt. Element. n. 19. p. 87.*)

§. 40.

Productum fermenti ſemen eſt ſui corporis juxta *Chemicum Coſmopolitam* (*Sendivog. tr. 3. p. 18.*) vix 8200. pars (*c. l. n. 12. p. 16.*) 2800. habet *David von der Bekke* (*c. l. p. 264.*) Adeoq; ſemina rerũ ſunt inviſibilia (*Helmont. tr. Butler. p. 470.*) corpora incorporea ſeu corpora ſpiritalia ideò dicta *Willielmo Daviſſonio* (*Prodr. comment. in c. 5. Medic. Petri Severini p. 62. & in. c. 6. p. 207.*) & aſtra interna (*ib. p. 297.*) Corpora cuncta primitivè & materialiter ex aqva ſola fiunt, acqviſito per fermentum ſemine iterum *Helmont.* dictitat (*tr. imago fermenti impregnat maſſam ſemine n. 83. p. 95.*) Etenim ubicunq; aqva odorem acqvirit; mox qvoq; in eo ipſo fermentum, atq; deinde ſemen in materiæ diſpoſitæ per fermentum incepta diſpoſitione concipit. Plurima ſiqvidem ſolius odoris fine fiunt (*tr. magnum oportet n. 1. p. 121.*) Ex arena ſive terra ſimplici & aqva (*pergit Idem ib. n. 2.*) creſcit nil niſi ſitum prius, fracedinem ſeu odores contrahant. Procul enim ſubter terrã nil fraceſcit, neq; creſcit planta in arena. At verò prope diem odor fracidus eſt, & Leffas (liqvor eſt ad omnem plantam *tr. Elementa n. 3. p. 43.*) ſeu ſuccus terræ fracidæ, unde ſurgit omne plantarum genus, viſibili carens ſemine, ſataq; ſemina promoventur in deſtinationes (*tr.*

Imago fermenti imprægn. maſſ. ſem. n. 31. p. 94.). Inde etiam pluvia qvando in terra Leffas fit, (*ib. p. 95.*) qvod ex *Paracelſo* hauſiſſe videtur; (*l. 3. Philoſoph. ad Athen. tract. p. 17.*) ſuas profert plantas. Puta ſi fimi una pars putreat in aqva qvintuplo ſui ponderis aqvam imprægnare poteſt, & fructus edere. Etenim aqva omnis odoris expers, niſi in ſui ſulphure fermentum odoris conceperit antè in priſtina ſimplicitate, ſine fructu permanet, ut aqva pluvia. In profundis ideò terræ ſtratis, ubi longè à ſitu putredine & corruptione eſt receſſus, licet Leffas multum ſit, tamen aqvæ occulto loci odore imprægnantur, primum ſalis cujusdam contagio imperceptibili, ad ditiores mox fructuum colonias properant, & extra prorumpunt. Habitat nempè ſuus ubiq; peregrinus odor fermentaceus, qvi ſulphur aqvæ ingravidet, inibiq; ſopitus tandem concreſcat, ut in mineralibus in qvibus Bur metallicum & minerale vocatur (*tr. Elementa n. 13. p. 43. Imago ferment. impr. maſſ. ſem. n. 31. p. 94. & tr. Magnum oportet n. 39. p. 127.*) vel concretus atq; denſiori ſaltem aura perfuſus vegetat, ut in plantis & oviparis, vel prorſus ab initio forma auræ gliſcit.

§. 41.

Ex his *Helmontianis* de ortu rerum præmiſſis colligere & elicere licet ſeqventia. (1.) Duo eſſe principia naturæ, materiam & agens. Principia autem corporum aqvam & ſemen ſeu Vulcanum, duobus reſpondentem ſexubus. (*Phyſ. Ariſt. & Galen. ign. n. 7. p. 40.*) Agens ſeu efficiens eſt fermentum, materia aqva. (*tr. cauſ. & init. nat. n. 33. p. 31.*) (2.) Aqvam ſimplex elementum à rerum Domino ad conſtantiam univerſi deſtinatam. (*Progymn. Met. n. 6. p. 55.*) (3.) Ex hac fermenta (ſeminalia) & ſemina materialiter eſſe formata, (*c. l. n. 7. p. 55.*). (4.) Fermenta hæc omnium transmutationũ eſſe cauſas (*tr. imago ferm. impr. maſſ. ſem. n. 14. p. 92.*) (5.) Aqvam mutari partim afflatu ſeminum, (*tr. Progymn. Meteor. n. 20. p. 57.*) ſive larvari fermentis & ſeminibus ſuperve-

perveniendibus. (*tr. Gas aqua n. 36. p. 63.*) partim qvando ex fermento locali, principiante & formali odorem ſeu fracedinem concipit, & concreſcens ſeminale fermentum parturit, & in ſemen aliqvod è qvo res naturales oriuntur, tranſit. Semina (6.) ex aqva ſua fingere concreta, ſuamq́; tragœdiam per formarum defluxum ad interitum ludere. (*c. l. n. 44. p. 63.*) (7.) Animam autem pingere imaginem (*tr. imago mentis n. 17. p. 215.*) Contigit id per ſigillationem animæ in ſpiritu ſeminis, unde materia reqviſitam maturitatem & adumbratam figuram nanciſcitur. (*ib.*) Omne autem ſemen ſine imagine infœcundum eſt, & imago illa in ſe gerere debet ſimilitudinem iconis concipiendæ. (*Franc. Oswald. Grembs l. 1. Arb. integr. & ruinoſ. hom. c. 7. §. 1. n. 30. p. 33.*)

§. 42.

Qvid ſemen *Helmontio ſupra* (*§. 18. p. 67.*) expoſui, cujus potiſſima pars dicitur Archeus, qvi eſt motuum naturæ initium, excitator & director internus generationis. (*tr. Imago ferm. impr. maſſ. ſem. n. 2. p. 92. add. tr. ignotus hoſpes morbus n. 77. p. 401.*) Imago hæc Archei ex prædeceſſoris idea fluens, vel eandem è condo externorum arripiens, non eſt demortuum qvoddam ſimulacrum, ſed plena inſignitum ſcientia, poteſtatibusq́; neceſſariis rerum in ſua deſtinatione agendarum ornatum, adeoq́; eſt vitæ & ſenſationis primarium organum (*tr. Archeus Faber n. 4. p. 33.*) Inde alibi (*tr. Imag. ferm. impr. maſſ. ſem. n. 12. p. 92.*) definitur: Gas ſeminale continens in ſe fermentum (ſeminale) imaginem rei, atq́; inſuper noticiam diſpoſitivam rerum agendarum. Et (*tr. Phyſ. Ariſt. & Galen. ign. n. 4. p. 39.*) principium motus & vitæ in animantibus, & huic ineſſe commenſurantes ſcientias. Adde qvæ de ſpiritibus in ſemine mechanicis diſputamus infra. (*Diſſ. 7.*)

§. 43.

Variant autem Archei. Mineralium namq́; Archeus planè materialis, ſub ſpisſitudine liqvidus, occultum & torpidum

tegens nitorem, qvi vegetior atq; liqvidior in plantis eſt. In qvadrupede verò apertior fluctuat, atq; ſplendet, adeò ut deſungente animali mox in oculis ſplendor deficiens conſpiciatur, (*tr. Formarum Ortus n. 86. p. 119.*) In hoc igitur Archei conſonant, qvatenus vitales ſplendorem aliqvem posſident, variant tamen qvatenus diſſimilis formæ præcurſores & œconomi. (*tr. Magnum oportet n. 13. p. 121.*) Animal enim non generat animal, at benè ſemen ad animal, ea propter non generat formam ejus. Semen autem ad formam animalis eſt tanqvam Architectus diſponens, non autem formæ factor. (*tr. Form. ortus n. 17. p. 108.*)

§. 44.

Qvicqvid igitur in natura fit aut naſcitur, fit ex necesſitate ſeminum efficientium. Semina autem ipſa nullatenus operantur ob ſcopum ſimilitudinis, aut contrarietatis (ut alioqvi vulgò putatur) ſed duntaxat qvia ſic ſunt juſſa operari à rerum Domino, (*tr. Natura contr. neſcia n. 47. p. 142.*) qvi ſolus ſcientias, & fines ſeminibus dedit, ſibi cognitas à priori. Alioqvin ſemina vadunt, & qvorſum neſciunt, ſeſeq; dirigunt qvidem tanqvam ſcientia pollerent, ſed tendunt per media ſibi conceſſa ad fines ſibi ignotos. Vocamus namq; impropriè medicaminum intentiones aut naturæ ſcopos, non qvod ſibi ab initio ſcopum præfixerint tanqvã ſi mente & præſcientia pollerent: Verum qvod ex dono creato nata ſint ſua directione ſponte ac naturaliter defluere ad ejusmodi fines Deo cognitos. (*tr. 6. n. 15. 16. 17. p. 134.*)

§. 45.

Ita vero ſimile à ſimili generatur. In ſpontaneorum ortu, ſive generatione anomala, res non ita clara. Ad eundem ferè modum de hac loqvitur, ut de ſeminali *Helmont.* (*tr. Imag. Ferm. impr. maſſ. ſem. n. 31. p. 94.*) & id Fungorum generatione illuſtrat. Aqva concluſa ſi propè aërem eſt, *inqvit*, & caloris momento

agi-

agitata fraceſcit, non amplius aqva; ſed ſuccus Leſſas eſt, vigore cujus fracidi fermenti poteſtas terræ collata eſt germinandi herbas. Succus enim ille terræ fracidus puſilli caloris ſtimulo aſcendit in fumum, fungoſus fit, ac pelle circumdatur pro fermentorum inibi latentium reqviſito.

§. 46.

De animaculis & inſectis è putrido provenientibus ſeqventia (*c. l. n. 10. p. 92.*) prodidit: Neq; ſat fuit,„*inſit*, in Scholis dixiſſe ejusmodi inſectas, (qvas *Animantata* pasſim vocat) è putridis prodire. Nam & ova avium inſigniter putrent, fœtentq; immenſum ante pulli conſtitutionem. Vita igitur ineſt iſtis putridis rebus, non minus qvam ovis. Nec ſat eſt dubitaſſe, undè ejusmodi Inſectæ vitalem ſpiritum uniformem & ſpecificum è noſtro deſumant, cum naturalis generatio præſumat impreſſum ſimilitudinis ſigillum. Siqvidem in generatione anomala ſufficit Archeus, non qvidem humanus, ſed qvi in excrementis virtute fermentali & idenditatis ergò ſemper generat ejusmodi Inſectas pariformes. Adeoq; licet monſtroſa & anomala generatio reſpectu noſtri: eſt tamen naturalis atq; ordinaria in ordine ad cauſas, nobis videlicet tantum fermentum & fotum dantibus. (*Add. c. l. n. 8. p. 91. tr. cauſa & initia naturalium n. 30. p. 30. & tr. Magnum oportet n. 3. p. 121.*)

§. 47.

Semen igitur in rebus ejusq; vis fermentalis eſt res, qvæ exoleta ſuæ tragœdiæ ſcena deſinit in individualem epilogum, (*tr. Cauſa & initia natur. n. 30. p. 30.*) Et ita univerſam in mundo ſcenam fermenta per ſemina uno ſub aqvæ elemento ludunt. (*tr. imag. ferment. impr. maſſ. ſem. n. 34. p. 95.*)

§. 48.

Diduxi hanc *Helmontii* ſententiam prolixius, cùm qvod ſparſim ea & qvaſi incidenter ſaltim in eis operibus occurrat, atq; *Franciſco Oswaldo Grembs (l. 1. Arbor. integr. & ruinoſ. hom. c. 7. p. 31. & ſq.)* ſuccinctè fuit tradita, tùm qvod multos egregios conceptus contineat, adeoq; ſubſeqventibus propoſitionibus lumen aliqvod ſit fœneratura. Ut igitur de ortu rerum plenius & planius diſqvirere valeam, certis theſibus meam de hoc ſententiam includere decrevi. Sit ergò

§. 49.

(1.) *Ut creatio corporum naturalium cum eorum generatione nil habet commune, ita ab hac ad illam, & vice verſa argumentari non licet.* Id autem, *ut cum Hamelio (l. 2. de conſ. vet. & nov. Philoſ. c. 2. n. 7. p. 633.)* loqvar, inter creationem & generationem eſt diſcriminis, qvod illa nihil ejus, qvod producendum eſt, ſupponat. Nam qvod creatur fit ex non ente per ſe, (nullo præſuppoſito ſubjecto, ut *Franciſcus de Oviedo Controv. Phyſ. 13. p. 1. n. 5. p. 282.* cum *Scholaſticis* enunciat) ſive ex nihilo ſui; ſecundum univerſalem & adæqvatam totius entis rationem; adeò ut ens, in qvantum ens, producatur. Non qvod ens in univerſum emanet à creante: nihil enim niſi idem ſingulare procreatur; ſed qvia nihil in re creata concipimus, qvod ante fuerit. At generatio fit ex non ente per accidens: id enim ex qvo qvid gignitur eſt qvidem ſimpliciter, ſed non eſt tale ens, non id qvod generatur. Itaq; non prorſus ex nihilo, ſed potius ex aliqvo ſui efficitur; neq; ſecundum univerſalem atq; adæqvatam entis rationem prodit in lucem; jam enim erat omnino id ex qvo canis gignitur, ſed nondum erat canis. Duo ſunt modi fiendi intrinſeci unus, dependens â materia ſeu ſubjecto & dicitur generatio; alter independens à materia

ſeu

ſeu ſubjecto & dicitūr creatio. (*Joh. Zeiſold. Diatr. Hiſt. Elenct. de creat. anim. ſ. 1. Artic. 1. §. 9. p. 5.*)

§. 50.

Paucis. Creatio eſt actio ſupranaturalis, generatio naturalis. Illa ſolum Deūm agnoſcit ἐργοδιωκτὴν; hæc corpora naturalia, qvibus benedictione divina, verboq; illo omnipotenti: Creſcite & multiplicamini, ſeſe actu generationis propagandi facultatem indidit. Creatio aut materiam nullam præexiſtentem præſupponit, ſeu nihil negativum, & ἄμεσος ſeu immediata vocatur, & hac creatione tria prodiiſſe tantum entia *modò laudatus Præceptor olim meus Exc. Zeiſoldus* (*Diſp. Phyſ. de nativ. rer. nat. ort. §. 16.*) Angelos, materiam primam & animam rationalem dictitabat, aut materiam qvandam, ſed ad hujusmodi formas ſuſcipiendas inhabilem & indiſpoſitam, ut non niſi divina potentia corporum ſpecies tàm ſubitò ex ea formari potuerint ut benè *celeberr. Joh. Chriſt. Sturm.* (*Phil. Eclect. Exerc. 8. p. 423. Scherzer. c. l. §. 1. p. 83.*) qvam nihil privativum vulgò (non ἀκριβῶς, nihil namq; privativum reqvirit aptitudinem, qvia privatio abſentiam formæ cum aptitudine involvit, *ita B. Scherzer. Syſt. Theol. Loc. 3. §. 11. p. 91.*) dicunt Philoſophi, & ipſam creationem ἔμμεσον ſeu mediatam Theologi. Vid. iterum *B. Scherzer.* (*c. l. §. 1. p. 83.*) Non hic moror *Zeiſoldi* argūtias τὸ mediatūm creationém tollere, (*c. l. §. 19. & 73.*) & corpora cuncta in Hexaëmero generando producta (*§. 18. & 42.*) aſſerentis. Cogitur namq; demú (*§. 73. & 79.*) ad ſupra naturalé generationem recurrere, qvæ qvid ſit, & qvomodo â mediata creatione, (qvam non minus eſſe creationem, qvam naſum cereūm verūm naſum *§. 10.* ſtatuit) differat, eqvidem edoceri vellem. Res in creatione potentia obedientiali emerſerunt, in generatione naturali. Creatio eſt momentanea, qvinimò plus qvam momentanea ex mandato divino *juxta Joh. Chriſtoph. Steebium* (*Cœl. Sephirot. c. 3. ſ. 4. n. 607. p. 58.*) eaq; perfecta

rerum

rerum productio, fitq; citra omne temporis momentum (*Scalig. Exerc. 6. ſ. 14. p. 40.*) Dixerat namq; Deus, & facta ſunt. Generatio prævias in ſemine diſpoſitiones reqvirit, eſtq; motus ſucceſſivus, ipſaq; generata ſenſim ſenſimq; adoleſcunt, & ad ἀκμὴν perveniunt. Adeoq; creationi propriè ſtricteq; dictæ opponitur generatio, & inter creationem & generationem tertius productionis modus neutiqvam datur. *Conf. Frid. Ulric. Calixtus. (de Creat. Specim. 1. th. 26.)*

§. 51.

Qvod igitur ipſam creationem attinet verbis *Illuſtris Verulamii* (*l. 1. de Augment. Scient. col. 23.*) eandem delineare liceat. In operibus creationis, *dictitat*, duplicem virtutis divinæ emanationem videmus, qvarum una ad potentiam refertur, altera ad ſapientiam: Illa præcipuè cernitur in creanda mole materiæ; hæc in pulchritudine formæ diſponendæ. Hoc poſito notandum eſt nihil in creationis hiſtoria obſtare, qvin fuerit confuſa cœli terræq; maſſa & materia unico temporis momento creata, cui tamen diſponendæ digerendæq; ſex dies fuerunt attributi: adeò ſignificanter Deus opera potentiæ ac ſapientiæ diſcriminavit. Cui accedit, qvod de materiæ creatione memoriæ proditum non ſit dixiſſe Deum fiat cœlum & terra, ſicut de ſeqventibus operibus dictum eſt: ſed nude atq; actualiter Deus creavit cœlum & terram: Ita ut materia videatur tanqvam manu facta; formæ verò introductio ſtylum habeat legis aut decreti.

§. 52.

Sed & *Excellentiſſimi nominis Theologum B. Scherzerum* (*c. l. §. 12.*) audire ſupervacaneum forſan non erit. Sextiduum creationis in triduum prius ſive (primorum in momento productorum corporum) diſtinctionis (primo enim die in primo corpore ſeu cœlo lucem, *Gen. 1. v. 3. 4. 5.* ſecundo aqvas ſuperas ab inferioribus in-

bus interjecto firmamento, *v. 6. 7. 8.* terram ab aqvis *v. 9. 10.* diſtinxit,) & triduum poſterius ſeu (eorundem jam diſtinctorum operum) exornationis, (qvarto enim die cœlum ſtellis, *v. 14. 15. 16. 17. 18. 19.* qvinto aqvam piſcibus & contiguum aërem, qvi, cum elementa ſint ſymbolica, & Moſes producti aëris mentionem non faciat, probabiliter ex ſubtilioribus aqvæ partibus productus fuit [cœli titulo aërem & aqvam in principio comprehenſa putat *Helmont. tr. Elementa n. 12. p. 43.* Spiritum autem Dei *Libav. l. 1. Hexaem. p. 25.*] volatilibus *v. 20. 21. 22. 23.* collato *Gen. c. 2. v. 19.*; ſexto demum die terram animantibus, & horum domino homine *Gen. c. 1. v. 24. 25. 26.* exornavit) præeunte *Moſe* diſtingvi poteſt & debet.

§. 53.

Cum igitur creatio obſcurè & confuſè tantùm naturæ pateat, ſcilicet qvoad dependentiam, non autem, qvoad producendi modum, qvippe qvem ſola *Scriptura* manifeſtat, igitur creatio non tàm ſcibilibus, qvàm credibilibus erit annumeranda, adeoq; â creatione rerum ad eorundem generationem non rectè concluditur, (ſecundum ea qvæ §. 45. & 46. allegabo,) nec ex hiſtoria creationis â *Moſe* deſcripta Phyſica Moſaïca aut Chriſtiana commodè extruitur, qvod qvidem multos v. g. *Danæum, Aslacum, Casmannum, Alſtedium, Fluddum, Commenium, Anonymum in Cyclopædia Paracelſica Chriſtiana An. 1585. â Samuele Siderocrate Brettano edita,* tentaſſe, ſed parùm feliciter, cònſtat. Cur credibilia ſcibilibus miſcebimus? qværit *Dan. Wülfer.* (*Exerc. de Phyſic. Chriſtian. §. 19. p. 11.*) cur diſtinctas diſciplinas, modosq; conſiderandi diſtinctos inter ſe confundemus? cur qvod ad Theologiam ſpectat, in diſciplinas naturales ſeu, ut appellantur, Philoſophicas trahimus? Non ex illa ſpeciali revelatione in *Scripturis*

patefacta Phyſica diſciplina componi poteſt: qvia nihil ineſt phyſicum & naturæ conveniens, ſed omne ſupra naturam, ſupra potentiam naturalium agentium, ſupra vim naturalis intelligendi facultatis. Qvemadmodum Theologiam in Philoſophia qværere, proinde eſt, ac ſi vivos qværas inter mortuos; ita contra Philoſophiam in Theologia qværere non aliud eſt, qvam mortuos inter vivos, *judicat Verulam.* (*l. 9. de augm. Scient. c. 1. col. 262. add. l. 1. Nov. Organ. aph. 75. col. 291.*) Fallit igitur *Andr. Libavius* (*l. 1. Hexaëm. ſ. 2. p. 29.*) dum totam Phyſicam complecti *Geneſin* aſſerit. Nec ſimpliciter admittendum *Joh. Heinrici Alſtedii* (*præf. ad Phyſ. Harmon. p. 3.*) effatum: Phyſicam Moſaicam eſſe lydium lapidem, ad qvem omnia ſunt examinanda, qvæ (in Phyſicis) ἄνω κάτω diſputantur. Ut nec illud *Wilhelm. Daviſſoni* (*prodr. Comment. in Med. P. Severin. p. 112.*) Dogmata ſacra *primi capitis Geneſeos* Phyſicam potius ſpectare, qvam Theologiam, cum contrarium tuenti rectius aſſurgamus.

§. 54.

Nec mihi admodum placet *Joh. Chriſtophori Steebii* inſtitutum, qvi Hexaëmeron illuſtraturus *Platonis & Platonicorum* ſententias, *Rabbinorum* itidem & *Cabaliſtarum* ſomnia & gerras *in cœlo Sephirotico paſſim* advocat. Temerarius admodum hic, ut in multis aliis, *Helmont*, qvi (*tr. Elementa n. 11. p. 43.*) profitetur: Didici per ignem qvod Deus ante diem creaverit aqvam & aërem, & ex aqva terram elementalem, qvæ eſt arena Qvellem. Eò qvod eſt futura baſis creaturarum anteſignano homini, ideoq; ipſo initio creari debebat, licet ſui natura non eſſet verè primigenium. Qvemadmodum duo primitiva duntaxat reperio elementa, licet neutrius *in Sacris* ſit facta mentio, qvia cœli titulo comprehenſa. Nec *Roberti Fluddi à*

Flucti-

Fluctibus, cui ſe *laudatus Steebius* aggregat, induſtria probatur, qvi ſculpturis & picturis creationis modum illuſtrare ſibi propoſuit. Qvid ſi eorum, qvod olim *Jobi*, auribus inſuſurraret Jehova: (*Job. 38. v. 4.*) ubi eras cum ponebam fundamenta terræ, cum me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?

§. 55.

Interim qvæ, extra creationis hiſtoriam, *in ſacris Literis* incidenter, aut ex profeſſo, qvod tamen rarius aut nunqvam fit, idq; non ſtylo *ἀκεγαμαλικῶ*, ſed nudo & ſimplici, de rebus naturalibus diſſeruntur tanqvam exactisſima & verisſima cenſeri debent. Qvis namq; Creatori de creaturis proprium dicenti teſtimonium non addat calculum? qværit *Joh. Sperling. (inſt. Phyſic. Proœm. qv. 4. p. 14.)* Veritas nobis à Deo per S. S. fuit revelata, de qvo Chriſtiano dubitare non licet, ex eadem noſtræ ſpeculationis deſumemus fundamentum, inculcat *Marcus Marci (Philoſ. vet. reſtit. p. 1. ſ. 1. p. 4.) Add. Danæum (p. 1. Phyſ. Chriſt. c. 3. p. 11.) Steph. Roderic. Caſtrenſem (l. 1. de Met. Microc. c. 18. p. 40.) Martin. Schook. (Phyſ. general. Diſp. 1. th. 27. p. 13. & l. 4. de Scepticiſm. (c. 29. p. 405.)* qvi & qvinq; regulas hoc in caſu attendendas (*p. 421.*) conſignavit. Paucis. De qvibus naturalibus loqvitur *Scriptura*, de iis loqvatur & Phyſicus; de qvibus tacet, neutiqvam taceat. Imperet Spiritus veritatis, auſcultet ratio. Iſaacus imperet, exulet Iſmael.

§. 56.

Ut adeò in *Sacræ S.* autoritatem peccent *Carteſiani*, & ante hos *Copernicus ejusq; aſſeclæ*, *aſſerentes*, *Scripturam* non tantum de rebus naturalibus, ſed etiam moralibus loqvi ſecundum erroneam vulgi opinionem, non ſecundum veritatem, (*Vid. Pl. Rev. Valent. Alberti de Carteſian. & Coccejan. c. 1. §. 31.*) qvam ſententiam etiam amplexus olim *Paul. Anton. Boſcarin. (in*

Epiſt. Syſtem. Mund. Copernic. affix. p. 485.) & nuper *Petrus Megerlin.* (*Syſt. Mundi Copern. argumentis invictis demonſtrato & Theologiæ conciliato p. 73.*) qvi concludit: Nos dicta Scripturæ examinamus ad analogiam fidei; at in naturalibus videtur adhibenda eſſe analogia naturæ, & verum & genuinum ſenſum non ex libro Scripturæ, ſed naturæ petendum, qvod utriusq; unus ſit autor: Sed ſcopus Spiritus S. in Scriptura longè ſublimior eſt, qvam ut nos doceat ſapientiam hujus ſeculi.

§. 57.

Verum inter ſcyllas & charybdes fluctuant, qvi his auſcultant, comprimis dum ſuas hypotheſes pro norma agnoſcunt, & ad eorundé ſenſum ſenſum Scripturæ detorqvent. Prodeat in ſcenam *Paracelſus*, qvi, ut è creationis hiſtoria Adami è limo formationem ex mente ſua deſcriberet, corpusq; hominis duplex, ſidereum ſcilicet & terreſtre, ſuamq; Anatomiam Eſſatam probaret limum in limbum ſuum, ſeu ovum teſta cœlum & terram cooperiens (*de Caduc. Matric. §. 2. p. 611.*) transformavit, & in Limbo illo cœlum & terram cum omnibus viribus & dotibus corporum naturalium (*l. 4. Paramir. p. 73.*) ipſamq; omnium naturarum qvintam eſſentiam, (*l. 1. de reb. nat. c. 5. p. 1093.*) & in qvo omnia corpora creata occultantur & ſunt, (*Paragr. 2. tr. 2. p. 247.*) extitiſſe prodidit cum alibi, tum (*l. 1. Philoſ. ſagac. p. 344. & p. 356. tr. 1. de Peſtilit. p. 328. l. 1. de Lunat. tr. 1. c. 1. p. 165. & l. 1. de Generat. Stultor. tr. 1. p. 174.*). Alibi ipſi Limbus major eſt ſemen rerum ſeu creaturarum (*v. g. l. 1. de morb. podagr. p. 581. &c.*) qvin imò ipſius hominis (*l. 4. Paramir. p. 73.*) & qvæ alia abſurda de hominis creatione (*Secret. Mag. p. 673. & l. Azoth. p. 538.*) fingit, & ſomniat ſemivigil & temulentus ille Phyſices & Medicinæ inſtaurator. Ex parte materiæ, è qva creatus, immortale corpus obtinuiſſe Adamum ut probaret *Steebius* (*c. l. c. 3. ſ. 1. n. 493. p. 49.*) Creatorem terram rubram, qvam Hebræi Damaſcenam vocant, procul dubio de arbore

bore vitæ, vel Paradyſi ſolo fertilisſimo deprompt am pro humani corporis ædificatione aſſumſiſſe prodidit, qvi & (*c. 6. ſ. 4. n. 1327. p. 116.*) ex mente Chymicorum retulit, cum corpus Adami nullis elementorum corruptionibus nobilisſimum fuerit, veram Adamiticam terram in auro ſolo, ſed firmis naturæ repagulis occluſam, reperiri. Sed hic terram pulverem terræ communis interpretatur *Libavius* (*l. 7. Hexaëm. §. 33. p. 634.*) & ita philoſophatur: Pulverem ſiccum Deus liqvefecit, indeq; ſangvineum liqvorem, & poſteà ex hoc corpus fabricavit, qvod ideò etiam ſangvine, utpote ultimo nutrimento, alitur. Inde nomen Adam â rubedine non pulveris, ſed liqvoris ex pulvere reſoluto. Paucis, homo immortalis erat, non qvia è terra Paradyſi aut auri materia, creatus erat, ſed qvia conditus ad imaginem divinam, ut benè *Andr. Prükner.* (*comm. in Geneſ. c. 1. p. 10.*) & creatio ex pulvere terræ ſignum tantum erat potentiæ ad corruptionem, qvæ nunqvam in actum erupiſſet, niſi Adamus peccaſſet, ut iterum *Idem* (*ad c. 2. v. 7. p. 18.*) Et qvamvis æternitatis corporeæ imago ſit aurum, ut *Nobiliſſ. D. Andr. Casſius* (*cogitat. de Auro c. 8. p. 76.*) loqvi amat, illud tamen corruptibilibus autoritate Apoſtolica *Petri* (*1. Epiſt. c. 1. v. 7. & 18.*) accenſuit *celeb. O. Borrichius* (*Diſſ. de Ort. & progr. Chem. p. 48.*) Imò ſi Limbus Paracelſicus aut ſemen hominis fuit, aut illud in ſe unà cum materia cœleſti abſconditum habuit, qvomodo creaturæ nomen homo tuebitur?

§. 58.

Nec felicior in interpretandis ſacris *ipſo Paracelſo* eſt *redivivus ille Paracelſus Helmontius.* Ille qvidem ſe poſtpoſitis paganorum impoſturis juxta Sacrorum autoritatem ſuas experientias, & donatum lumen ſe dirigere perhibet (*tr. Elementa n. 3. p. 42.*) ſeq; Sacrorum autoritati ſemper primatum dediſſe gloriatur, (*tr. Arbor vitæ p. 635.*) & ſic ſe aſſueviſſe philoſophari, ut res ipſas ex radicali fundamento, juxta cotem ſacræ venitatis, qvâm

proximè liceret humanis ingeniis dimetiri duperet, (*tr. Natura contrar. neſcia n. 18. p. 134.*) ſed ſi accuratius *Helmonti* ſcripta percurras, ille Scripturam potius ſecundum ſua Paradoxa, & non ſua Paradoxa ad ſenſum Scripturæ genuinum, explicat. Teſtatur id comprimis *tr. Mortis introitus in naturam humanam decus virginum* (*p. 513.*) *tr. Theſis* (*p. 515.*) *& tr. demonſtratur Theſis* (*p. 522.*) Et ne gratis hæc dixiſſe videar, in ſtomacho, præſertim ejus orificio tanqvam centrali puncto atq; radice, ſtabiliri evidentisſimè principium vitæ, digeſtionis ciborum & diſpoſitionis eorundem ad vitam, (*tr. Sedes animæ n. 6. p. 230*) & locum animæ centralem eſſe orificium ſtomachi (*n. 32. p. 233. tr. Jus duumviratus, n. 13. p. 241. n. 58. p. 248. Ignota actio regiminis n. 49. p. 273. tr. confirm. morb. ſed. in anima ſenſitiv. n. 2. p. 448.*) *Helmontio* placuit. Hanc ſuam theſin ut fulciret, ad Sacrorum aſſenſum & autoritatem provocat, qvando legitur: Qvæ cogitationes aſcendunt in cordibus veſtris (*Luc. 24. v. 38.*)? Non dicit, (argutatur *tr. Sedes animæ n. 8. p. 230.*) deſcendunt ad cor veſtrum. Ut neq; qvæ cogitationes naſcuntur, vel ſurgunt à corde veſtro. Nam & multoties ideò ſtomachus cordis nomine vocatur, dum à corde adulteria & peccata oriri cenſentur. Nam cogitatio omnis prima ſui origine alibi, qvàm in corde naſci debet. Pulſus enim motusq; vehemens cordis, atq; indeſinens id vitare voluit. Qvippe qvod cogitatio in qviete fieri debeat. Qvoties ideò cogitatio cordi tribuitur, iſta locutio eſt juxta captum vulgi, cor pro ſede animæ ſumendo. Et qvamvis ſtomachus humili occupetur miniſterio, non eſt tamen proin ejus vile famulitium, non magis qvàm Judæorum Pontifici lanionem egiſſe, juxta illud qvi veſtrum maximus fuerit, tanqvam minimus eſto. (*tr. Ignota actio regiminis n. 49. p. 273.*) Sed miſerè deceptus, judicium *Th. Bartholini* (*comm. de Paralyt. N.T. hiſt. Paralyt 3. p. 68.*) meum facio, textui affinxit, qvod nusqvam nec ſcriptum, nec pictum, ſtomachum impuram animæ il-

mæ illius ſedem (*in Anatome Reformata l.1. c.9. p.m. 51.*) ſine ſtomacho impugnavimus. Qvod verò cordis inhabilitatem à perpetuo motu metitur, qvaſi cogitatio omnis in qviete reponatur, aliis diſcutiendum relinqvo.

§. 59.

Impia eſt illa præterea *Paracelſi* ſententia *in libro Azoth*, qvem librum non ſine cauſa maximè in Deum impium, peſtilentisſimum & horribilium mendaciorum, profanationumq́ divinorum operum pleniſſimum vocabat *Libavius* (*l.3. comment. Metall. p.56.*) ejusq́ autorem Diabolum credebat (*l.2. p.52.*) (*p.542.*) qvando ſcribit; *Moyſes*; (qvem paulo antè *p.522.* à Dei Spiritu illuminatum Philoſophum, Phyſicum & Prophetam agnoverat, qvi tanqvam naturalis Magus & Yliaſter, divinus noſter Necroleus, & præcurſor factus in adepta Philoſophia, & necrolicè, necromanticè & necrocomicè fundamentum & qvalitatem Macro- & Microcoſmi proponit & deſcribit) hat ſich keiner Phyſica unterſtanden, dann das donum intelligentiæ creationis hat er particulariter gehabt, und nicht ganzz, wie es ſeyn ſoll nach Erheiſchung der nothdurfft, beſchrieben. Vielleicht hat ers wohl nicht anders gewuſt; denn er meldet nichts von keiner proporz, Qvalität, prima materia Limbi æterni, & Limbi elementorum, allein er zeigt an die materiam der Erden, daraus der Menſch, doch nur ein theil: hat geſchwiegen drey theil, als Lufft, Waſſer und Feuer. Denn er iſt von jugend auff kein Phyſicus nicht geweſen, allein von Gott iſt er beruffen geweſen zu einen Führer und Vorgänger der Kinder von Iſrael auff Theologiſche weiſe. Darumb ſeine Beſchreibung den Leien ganzz unverſtändig iſt. Denn ein Phyſicus müſte gar einen ſchwachen Grund führen, wenn er dem Text nach der creation dem *Moyſi* ohne auslegen wolte glauben geben, es wäre nur einfältig lächerlich ding. Dann der Phyſicus behilfft nicht im

Glauben, wie der Theologus, ſondern allein im werkke der proba und experienz, denn in augen ſcheinlicher proba lieget die Phyſica, und nicht allein im Glauben. *Moyſes* hat Theologiſch auff den Glauben für die einfältigen geſchrieben, das merkket. Qvæ verò Paracelſus de creatione ſecundum ſua principia docuerit in compendium redacta *apud Libavium* (*l. 1. Hexaem. ſ. 26. p. 76. & ſq.*) leguntur. Spectant huc illi qvi ex mundi angulo, in qvem eos natura detruſit, *ut loqvitur Hamelius* (*l. 1. de Conſ. vet. & nov. Philoſ. c. 5. n. 2. p. 600.*) temerè pronunciant, qvæ Moyſes de mundi primordiis tradidit fictitia eſſe & fabulis proxima. Qvibus adjungo *Spinoſisſimum illum Belgam* qvi (*allegante Clariſſ. Dn. Sturmio Phil. Eclect. Diſſ. 3. §. 12. p. 163. tr. Theolog. Polit. p. 90.*) qvæ de Adamo narrant in ipſo Geneſeos principio S. Literæ, Parobolam eſſe credidit, non hiſtoriam. Ipſam arborem vitæ fabuloſam aut parabolicam à qvibusdam habitam *ex Helmontio* (*tr. Arcana Paracelſi p. 625.*) patet.

§. 60.

Qvamvis igitur è Sacris conſtaret ter benedictum rerum Creatorem ex aqva omnia condidiſſe, non tamen aptè concluderet qvispiam (*ſecundum §. 45. dicta.*): Ergò omnia ex aqva adhuc conſtant, & generantur, adeoq; creationis myſterium *Thaletis* ſententiæ neûtiqvam patrocinatnr, ut ejus Seqvacibus qvidem videtur. Nec *Aqvei illi Philoſophi Thaletis* mentem Scripturæ dictis ritè applicarunt, cum illa â ſacris Literis, qvas ipſi qvidem non penetrarunt, multum abſit. Ut enim Ethnici Deum agglutinabant materiæ primæ, hancq; illi coæternam ſtatuebant: ita *Thaletem* & *Audeanos* aqvam Deo coæternam aſſeruiſſe *B. Scherzerus* (*Syſt. Theol. Loc. 3. p. 89.*) docuit. *Add. Franciſ. Piccolomin.* (*l. d. Mundo. c. 15. p. 436.*). In eodem luto aliqvando hæret *Paracelſus* cum paganis, qvi myſterium ſuum

ſuum magnum, qvod nihil aliud qvàm Chaos & materiam primam (exprimere docuerunt *Fluddus* (*tr. 1. l. 1. hiſt. Macroc. c. 3. p. 73.*) *& Heinric. Noll.* (*l. 1. Philoſ. Hermet. c. 2. p. 89.*) nulli creaturæ ſimile, nec creaturam, (*l. 1. Philoſ. ad Athen. t. 2. p. 1.*) ſed increatum qvid, â ſummo tamen Artifice paratum (qvis non rideat hominis inconſtantiam & dementiam?) *ibid.* (*t. 4. p. 2.*) vocavit.

§. 61.

Nil igitur ad ſcientiam naturalem conferet hiſtoria creationis? reponet qviſpiam. Non id qvidem ex parte inficior, ſed tamen & illa ortum ſupranaturalē omniũ rerum elegantisſimè depingit, frivolas illas, & in peripato ad nauſeam usq; agitatas, qvæſtiones de materia prima, de forma corporeitatis materiæ primæ, de ejus appetitu, & aliorũ otioſorũ paganorũ & Scholaſticorum commenta explodit. Qvid opus Philoſophos gentiles de æternitate & ortu ſeu generatione mundi invicem certantes evolvere, & cũ ipſis confligere, eorumq; argumenta è natura rerũ generabilium & corruptibiliũ cum *Ariſtotele* (*1. de Cœlo c. 10. p. 617.*) *& ejus Aſſeclis* educta erroris convincere? Qvot annos, imò ſecula, his controverſiis inſumſerunt *Proclus, Plotinus, Numenius, Jamblichus, Syrianus, Simplicius, Themiſtius, Job. Grammaticus, Porphyrius, Averroes, Ocellus Lucanus, Alexander Aphrodiſienſis, & reliqvæ Scholarum Philoſophicarum umbræ & Eveſtra?* Varios eorum conflictus congesſit *Franciſc. Piccolomineus* (*l. d. Mundo. â c. 15. ad c. 27.*) *Bened. Perer.* (*l. 15. de commun. rer. nat. princ. per totum.*) *Fr. Toletus* (*comm. in 8. Phyſ. Ariſt. c. 2. qv. 1. f. 209.*) *Gerh. Joh. Voſſius* (*l. 2. de Orig. & progr. Idol. c. 38. p. 511.*) Palmario pro æternitatē mundi argumento, qvod ingenitus ſit, *Ariſtoteles* ſibi parum cavit, nec illo qvod æternus ſit futurus â parte, ut loqvuntur, poſt, cum â parte antè fuerit æternus, cum *Magno Gartnero* (*Epiſt. de Æternit. Mundi. p. 10.*) *judice*, nihil repugnet,

imò probabile valdè ſit, mundum ſi ab æterno fuit, aliqvando non futurum eſſe. Planè ac Angeli poſthac æterni ſunt, qvi aliqvando non fuerunt. Neſcivit præterea, cum reliqvis gentilibus, *Philoſophus* inter genitum & ingenitum ſeu æternum dari tertium, qvod creatum dicitur. Et cur ex mente *Platonis* æternitatem utraq; ex parte mundo aſſeramus eò, qvòd Deus ipſius anima ab ipſo habeatur declareturq;, adeoq; totius non modò pars integrans, ſed & eſſentialis, cum, *ſecundum laudatum Gartnerum* (*c.l.p.8.*) mundus interire poſſit non minus ac corpus moritur immortalitate animæ illæſa. Scilicet ex fide ſcimus, *monente* (*ad Hebr. 11. v. 3.*) *Apoſtolo*, mundum ex nihilo verbo Dei productum. Et ſola revelatione ſcimus, mundum non eſſe æternum, rectè *Joh. Marcus Marci à Kronland.* (*p.1. Phil. vet. reſtit. ſ.1. p.4.*) inculcat. Eſt igitur mundi creatio & interitus fidei articulus, non rationis fœtus.

§. 62.

Corpora ex hac ratione rectius & chriſtianè magis dicuntur creata, qvam naturalia. Qvid enim natura? Gentile ex ignorantia creationis productum idolum, ſub lunare, ut *Scaligero* (*Exerc. 6. ſ. 2. p. 23.*) audit, Numen, qvod otioſo aut conſervationi & directioni rerum creatarum non ſatis attento Creatori *σύνεργον* adjunxit, aliqvando præpoſuit, ſuperſtitioſa vetuſtas. Epicurus *ſcribit* (*in Octavio p. m. 90.*) *Minutius Felix*, Deos aut otioſos fingit, aut nullos; naturam tamen ſuperponit. Et, ut omnes Poetarum Deos ad ſolem referendos *cenſuit* (*l. 1. Saturnal. à c. 17. ad c. 23.*) *Macrobius*; ita omnium Dearum nomina de natura eſſe intelligenda *ex Apulejo* (*l. 11. de Aur. Aſin. p. m. 293.*) *patet*, qvod etiam *Nicod. Friſchlin.* (*ad Hymn. Callimach. 3. p. 219.*) monuit. Qvibus verò ex Ethnicis prudenter philoſophari, & cum ratione ratiocinari placuit, natura eſt potentia qvædam ſingularis mundo intelligentiæ inſtar cujusdam aſſiſtens, ſummiq; Numinis vicariatum gerens. Cœle-

ſtem

ſtem Genium vocabat *Scaliger.* (*Exerc. 332. p. 1018.*) Deum, ex ſententia *Ariſtotelis* non operari niſi per mediam naturam aſſeruit *Franciſc. Piccolomineus* (*l. 1. de Creat. c. 6. p. 595.*) Divinam ſapientiam agere per artem ſuam, qvæ natura eſt, *Kircherus voluit* (*Itin. Ecſtat. 2. Dial. 2. c. 5. p. 600.*) Inter Deum & creata corpora qvaſi mediam conſtituit naturam *Joh. Piſtorius*, (*l. 1. de Peſte cit. Sennerto l. 4. de Febr. c. 2. p. 376.*) qva res omnes laberentur & conſiſterent. Primo Deus omnium rerum principium dici poteſt, *judicat Becher.* (*l. 1. Phyſ. ſubterr. ſ. 3. c. 1. n. 3. p. 108.*) deinde natura, qvam definit, qvod ſit motus phyſicus conſervans omnia in ea diſpoſitione, qva â Deo creata & producta ſunt. Creatricem & productricem rerum decreverunt alii; formarum datricem, Pantomorphen, Colchodeam Deam ſuam *Avicenna* (*Helmont. tr. Formarum ortus n. 21. p. 108.*) Et qvicqvid, non â fortuna, neq; â neceſſitate, neq; â divino Numine, aut hujusmodi cauſam habet, naturale dici *Plutarchus* (*l. 2. d. placit. Phil. c. 1. f. m. 155. a.*) innuit. Fluxit & inde illud: ὁ θεὸς καὶ ἡ φύσις οὐδὲν μάτην ποιοῦσιν. Deus & natura nihil faciunt fruſtra (*ap. Ariſtot. l. 1. de Cœlo. c. 4. t. 32. p. 602. & l. 1. Polit. c. 8. p. 386.*) & hac de cauſa princeps *ex mente Barthii* (*ad Papin. Stat. 11. Thebaid. v. 466. p. 1368.*) qvod expers principii, Deorum omnium gubernatrix, & prior Numinibus omnibus (*ad l. 12. v. 561. p. 1528.*) Poëtis decantatur.

§. 63.

Sed ignoſcant mihi naturæ baſiatores, qvid hoc aliud eſt qvam naturam facere Deum, & vice verſa Deum naturam, & rupto ſummi Imperatoris noſtri ſacramento, (*verba huc applico Alex. Deodati Valetudinar. p. 393.*) infimam qvandam dictam naturam in ejus ſubſtituere locum, illiq; ut unico Numini aras erigere? Qvi ante naturæ primordia res creavit naturales, absq; naturæ auxilio, (*Piccolhom. l. 1. de creat. c. 5. p. 599.*) absq; naturæ miniſterio, eas conſervare non poterit? Si *Philoſophum* (*7. Eudem. c. 12. p. 362.*) audi-

audias, Deus nulla re eget, nec amico etiam opus habet. Neqve ipſi, ut principibus mortalium, opus eſt aut artificioſa molitione, aut alieno miniſterio *ſecundum Autor. l. d. Mundo (c. 6.)*, qvod *Schrœdero* tamen placuiſſe videtur *(l. 1. Pharmacop. c. 6. p. m. 20.)* aut delaſſatum laboribus, qvod non admittit *Autor l. d. mundo (c. l.)* aut otioſum fingere Creatorem per vicariam conſervationis exercentem negotium. Ut creationis, ita conſervationis actus eſt hyperphyſicus, atq; ſolius omnipotentiæ opus ſeu productum. Abſurdum autem eſt, *benè monente Joh. Aſuer. Ampſingio (Med. & Aſtron. Conjug. p. 113.)*, Naturam conſtituere hyperphyſicam. Si naturæ operatione omnia creata ſuſtinentur, in omni angulo mundi erit, adeoq; perfectior angelo, eò qvod ſpacium, qvod angelus etiam primæ Hierarchiæ occupare poteſt, ex ſententia Theologorum, *prout retulit Hirnhaim (c. l. c. 11. n. 8. p. 140.)* eſt contractius, qvàm ſit ſphæræ cœleſtis capacitas & amplitudo. Divina erit natura non dæmonia, qvalem qvidem pronunciavit *Ariſtot. (l. d. divinat. per Somn. c. 2. p. 1475.)* idq; explicat *Andr. Cæſalpin. (de Dæmon. inveſt. peripat. c. 6. f. 151. a.)*

§. 64.

Et hæc de natura opinio fundamenti loco fuit Atheis, qvibusdã, ut, ſervata natura, Deum negarent, qvodq; ipſa illis tramitẽ lubricum panderit, Labyrinthũ hunc ingredi, qvilibet facilè ſubſumere poterit. Præteritorum ſeculorum Cyclopes lubens prætereo. Noſtro ſeculo *Lucilius Vaninus*, qvi Julii Cæſaris nomen ambitioſè ſibi impoſuit, *in Dialogis de admirandis Naturæ Reginæ Deæq; mortalium arcanis*, naturam id eſſe, qvod nobis Deus, orbi perſvadere occupabatur. Secutus hunc *Anonymus* ille *Tractatus Theologi-o-Politici Autor*, qvem qvidam maledictum illum *Spinoſam* fuiſſe non leviter conjiciunt, qvi *c. 3.* docuit ſe nullum præter ipſam naturam Deum agnoſcere, atq; reſpectu hominum nullam aliam eſſe Dei directionem, præter humanam ſolertiam

atq;

atq; prudentiam. Pergit, ſe credere, omnia qvæ in toto univerſo vel fiunt, vel exiſtunt, neceſſaria ab ipſius naturæ curſu neceſſario atq; inevitabili proficiſci. Majore ſanè reverentia & cultu Deum ſuum ſtoicum proſeqvebatur (erubeſcite inter Chriſtianos Athei!) *Seneca* qvando naturæ cultorem (*l. 4. de Benef. c. 8.*) his alloqvitur: Ergò nihil agis ingratisſime mortalium, qvi te negas Deo debere, ſed naturæ, qvia nec natura ſine Deo eſt, nec Deus ſine natura. Laudat hanc *Senecæ* ſententiam ipſe *Lactantius* (*l. 2. Divin. Inſtit. c. 9. f. m. 33. a.*), qvem, ſi placet, viſe. Mente capti vox eſt Deum negare, & naturam Deam proclamare. Deum, vanisſime Vanini, proſcribis, Deam civitate donas. Maledicte Dei oſor, veſane Deæ amaſie & cultor!

§. 65.

Obſoletam mihi regeres diſtinctionem naturæ, in Naturantem & Naturatam. Illam mentem ſuperam Deum vocant; hanc Dei in univerſo vicarium. Sed qvid hoc? Natura naturata pasſivum qvid denotat, natura autem agit dirigendo, conſervando & ordinando res naturales, tanqvam vicarius qvispiam Deus. Si naturatam creatam interpretaberis, qvo die illam creatam putas? an forſan cum angelis & intelligentiis? Nec naturam naturatam eo modo explicant omnes Philoſophi. Hoc tantum addo *Guilielmum Verrilong.* (*l. 1. Diſt. 6. Art. 1. f. 23. a.*) per hanc intelligere omne aliud ens â Deo natum, ac dependens, qvorſum referas, qvæ habet *Ariſtoteles* (*l. 4. Metaph. c. 4. t. 5. p. 286.*) Idcircò qvidam Gentiles mundum naturam dixiſſe credunt, olim ſub Panos fabula adumbratum, ut eſt *apud Joh. Boccatium* (*l. 1. Geneal. Deor. c. 4. p. 6. & 7.*) qvod etiam ex ejus nomine & figura oſtenderunt *Junius Philargirius* (*in Virgil. Ecclog. 2.*) & *P. I. Faber* (*l. 1. Panchym. c. 5. p. 9.*) & Pana naturæ Emblema fecit (*Emblem. 97.*) *Andr. Alciatus.* Sed qvid proderit nomina multiplicare, & incautos callido artifi-

cio in devia rapere. Nihil illa denominatio ad rem, parum etiam illa, qva Stoici Deum & mundum adeoq; Artificem naturæ nomine exprimebant, *de qvo Lactantius* (*l. 7. Inſtit. divin. c. 3. f. m. 241. b.*) *& Lipſium* (*l. 1. Phyſiol. Stoic. Diſſ. 5. p. 841.*)

§. 66.

Si Ariſtotelicam naturæ definitionem excutias, qvid ſibi velit divinitatis procus, nec Augurū conjectura augurabitur qvidem collegium. Nulli ſatisfaciet, niſi affectu in Philoſophū præoccupato. Interpretes ſi evolvas, in varia ſcinduntur agmina, & ut cadmei fratres mutuis ictibus & vulneribus ſe conficiunt. Prægustum dabit *Sperling.* (*l. 1. inſtit. Phyſ. c. 4. qv. 1. p. 152.*) Dicis materiam & formam conſtituere naturam, nihil dicis, corpus naturale conſtituunt, non naturam. Et cur non formæ competere Ariſtotelicam dicam? cum ipſe *Ariſtoteles* (*l. 2. Phyſ. c. 1. t. 15. p. 460.*) id non diffiteatur, formaq; juxta Phyſicorum axioma, det eſſe, operari & diſtingvi. *Conf. I. P. Fabrum* (*l. 1. Panchym. c. 11. p. 23.*) Cur non animæ? qvod voluit *Galenus* (*l. d. fœtus format. c. 7. p. 622.*) Multi inter qvos *Ramus* (*in Schol. Phyſ.*) *Andr. Kragius* (*Schol. Ram. contr. Georg. Liebler. l. 2. c. 1. p. 63.*) *P. I. Faber.* (*l. 6. c. 3. p. 6.*) *Helmont.* (*tr. Phyſ. & Logica Ariſtot. ignara n. 2. p. 37. ſq.*) *Sperling.* (*c. l. q. 2. p. 175.*) Ταυτολογίας comprimis eandem accuſant, cum cauſa & principium, per ſe, & non per accidens unum & idem denotent, neq; omne corpus naturale moveatur, ut terra, neq; qvieſcat, ut ſol & ſtellæ cum cœlo, qvod non niſi miraculo qvieturum, ut habent *Conimbric.* (*l. 2. in Phyſ. Ariſt. c. 1. qvæſt. 2. art. 3. p. 262.*) Poſſem hæc qvidem haud difficulter in ſubſidium autoritatis Ariſtotelicæ declinare, niſi fruſtra non entis patrocinium ſuſcipi mente volverem. Magis urget illud *Scaligeri* (*Exerc. 7. p. 43.*) Si eſt principium motus, ipſa non habet principium. Hoc autem ſoli Deo convenit. Id ſaltem in gratiam *Philoſophi* addo, illum hac ipſa definitione differentiam inter corpora naturalia & artificialia monſtrare,

ſtrare, adeoq; naturæ & artis limites declarare & ponere voluiſſe.

§. 67.

Multum ſibi blanditur definitione ſua *Helmont.* qvandò (*c. l. n. 3. p. 38. tr. Natura contrariorum neſcia. n. 39. p. 140.*) Naturam definit juſſum Dei, qvo res eſt id, qvod eſt, & agit, qvod agere juſſa eſt. Dei (fiat) in naturam abiit, qvæ deinceps ſe ipſam eſt movendo, (*tr. Blas humanum n. 3. p. 144.*) ſeipſum explicat, & qvicqvid natura facit ex juſſu eſt, qvi eſt proprietas ejus dotalis (*c. tr. n. 49. p. 152.*) Addit naturæ definitionem Scholas neqvidem noviſſe. Verum mi *Helmont.* nonne legiſti *apud Lambertum Danæum* (*p. 2. Phyſ. Chriſt. tr. 1. c. 5. p. 4.*) *& Mich. Gebler.* (*Epiſt. 2. de Gemm. Formicin.*) Veteres omnes & orthodoxos Patres veriſsimè & pientiſsimè affirmaſſe, Naturam nihil aliud eſſe qvam θεοῦ φωνήν. Nonne evolviſti *J. C. Scaligerum & Thomam Eraſtum*, qvorum *ille*, (*comment. in l. Hipp. de Inſomn. Apoteleſm. 32. p. 186.*) *hic* (*part. 2. Diſp. contr. Paracelſ. p. 261.*) definierunt naturam juſſum Dei, qvò rerum ſeries effectiones, conjunctiones, ſeparationes, mutationes ritè atq; ordine perficiuntur. Vis iiſdem verbis *apud Amphingium* tuam inauditam legere definitionem? evolve *Medicin. & Aſtron. Conjug.* (*p. 114.*) & leges naturam eſſe efficax illud juſſum, qvo in creatione rebus juſsit, ut hoc eſſent qvod ſunt, & hoc eo modo agerent, qvod qvomodo agunt. Evolviſti ſanè hos ſi non omnes ſaltem unum, qvi te heluonem librorum (*tr. Tumulus Peſtis p. 833.*) vocas, qvi te in lectionibus Autorum aſſiduum & omnium notatorem (*tr. ſcabies & ulcera Scholarum n. 5. p. 358.*) proclamas, qvi opera *Galeni* bis, ſemel *Hippocratem* (cujus aphoriſmos penè memoriter didiceras) totumq; *Avicennam*, & tàm Græcos, Arabes, qvam modernos fortè ſexcentos ſeriò & attentè perlegiſti, per locos communes annotans, qvicqvid ſingulare in iis & calamo dignum videretur. Legit autem, ſi conjecturæ locus, ex his

Era-

Eraſtum, Paracelſi adverſarium, Paracelſo addictus qvod *ex promiſſis* (*col. 3. n. 7. p. 11.*) patet, è cujus ſcriptis etiam ſe multum profeciſſe (*tr. Arcana Paracelſi p. 620.*) fatetur, imò in ſua multa, tanqvam nova & inaudita, transtulit, adeoq; ſæpius plagiarii crimen incurrit.

§. 68.

Clar. Posnerus hanc Helmontianam, ſi rectè, ut neceſſitas poſtulat, explicetur, ab Ariſtotelica parum admodum differre judicabat. Invenit tamen in illa pariter qvod deſideraret. (*Diſp. ad part. Phyſ. general. 4. th. 29.*) Urget imprimis naturam corporibus ineſſe, ut principium, juſſum verò Dei neutiqvam. Sed *ex Ampſingio* (*c. l.*) docemur metonymicè per juſſum Dei denotari vim illam, qvam Deus jubens ſimul rebus contulit. Aſt & naturæ univerſalitati, qvam ejus proci mirè prædicant, & exoſculantur, ejusq; in res creatas dominio adverſabitur, cum particularem, ſive ſpeciem ſeu individuum ſpectet, qvamq; dotem poteſtates & proprietates dotales paſſim *Helmontius* nuncupat, eandem faciant. Ut adeò illa, ſiqvidem detur, non ſit Chimæra qvædam imaginaria & extra individua ſubſiſtens, ſed in ipſa rerum creatione prima ſingulorum generum vis individuo tanqvam totius generis radici & ſtirpi indita à Deo, ut ex eo ad univerſum earum rerum genus poſtea transiret ea vis, ut *Lambertus Danæus* (*part. 2. Phyſ. Chriſt. tr. 1. c. 5. p. 4.*) loqvi amat.

§. 69.

Reſtat adhuc nova illa naturæ definitio conſideranda, qvando *Kirchero,* (*Itin. Ecſtat. 1. Dial. 2. c. 4. n. 7. p. 400. Itin. 2. Dial. 2. c. 5. p. 600.*) Ars Dei & Spiritus univerſorum ſeu anima Mundi, & *Hamelio* (*l. 2. de Foſſil. c. 1. p. 364. l. 1. de conſ. vet. & Nov. Phil. c. 4. p. 580.*) Ars Dei in materia ſeu ars divina juxta qvam omnia ſunt ordinatiſſima vocatur. Qvid ars Dei ſit, Davus non capiet, & aliqvid monſtri id alere Oedipus ſubodorabit. Animadvertit in hoc

Kir-

Kircheri effatum *Cenſor Anonymus* (*propoſ. 5.*) cui tamen reſpondit (*in Apolog.* §. 7. *p*, 505.) *Kircherus*: Naturam dupliciter ſumi (1.) pro natura naturante, qvæ reipſa eſt ars Dei & mundi anima, non informans, ſed asſiſtens, ut ſubinde dicuntur cœli eſſe qvodammodo animati ab intelligentia asſiſtente. Qvanqvam loqvendo de mundo ſecundum eſſe ſuum ideale, in ſenſu aliqvo magis proprio, dici posſit ars Dei eſſe anima ejus ſeu vita, juxta illud, qvod factum eſt, in ipſo vita erat, juxta explicationem nominatim *S. Auguſtini*. (2.) Pro natura creata, qvæ hoc ſenſu dici poteſt ars Dei, qvod ſit qvædam artis divinæ rebus ipſis inhærens impresſio; unde illud: Opus naturæ intelligentiæ; qvæq; etiam dici poteſt ſpiritus univerſorum, & anima mundi, in qvantum eſt intrinſecum principium omnis operationis, qvo res naturales agitantur, & tendunt in fines ſuos. Solent enim, *concludit*, iſti modi Platonici in ſcriptione rhetorica potiùs, qvam ſcholaſtica tolerari, & per metaphoram in ſenſum commodum accipi.

§. 70.

Verum nec illa artis divinæ corporibus impreſſa κειμήλια naturam univerſalem evincent. Deus *Platoni* γεωμετρεῖν dicitur, non natura.

Pondere, menſura, numero Deus omnia fecit,

non natura. Deus dixit & facta ſunt, ut modò ſunt, taliaq; manebunt usq; ad conſummationem ſeculi corpora totalia; corruptioni autem ſubjecta ſucceſſuris generationibus, non interveniente fictæ naturæ operatione aut conſervatione, perennabunt. Id muneris verò impoſitum eſſe Spiritibus corporum, qvos mechanicos vocant Chemici, ex infra dicendis clarum evadet. Natura & anima mundi unum & idem *Kirchero*, qvamvis & has diſtingvat (*Exerc. 7. p. 43.*) *Scaliger*, & animam

ſive ſpiritum mundi *ſuprà* (*Diſſ.* 1. §. 18. *p.* 15. *ſq.*) deſcriptum, naturæ matrem *Steph. Roder. Caſtrenſis* (*l.* 2. *de Met. Micr. c.* 3. *p.* 51.) ſalutet. Sed ambo hæc optimo jure è Schola phyſica exeſſe poſſunt. Utut igitur naturam tentare demonſtrare ridiculum putet (*l.* 2. *Phyſ. c.* 1. *t.* 6. *p.* 459.) *Philoſophus*, attamen *cum Empedocle* (*l.* 1. *natur. cit. Plutarcho l.* 1. *de plac. Phil. c.* 3. *f.* 160. *a.*)

Dixero naturæ nullus in orbe,
Eſt locus, & fictum lethi exitiabile nomen:
Sed modo miſceri, rurſus qvoq; mixta retexi
Cuncta ferunt, homines ſed apud natura vocatur.

Conſ. Cornel. à Bontekoe (*Neues Gebäude der Chirurgie part.* 1. *c.* 1. §. 1. *p.* 1. *ſq.*) *Exc. D. Joh. Dolæus* (*Epiſt. ad. D. Joh. Waldſchmid.* 1. *p.* 32.)

§. 71.

Dicis ipſum Phyſicæ nomen ſublata φύσει proſcribi. Per me licet, ſi rigore Philoſophico uti placeat. Poterit alio nomine κοσμολογία, doctrina, Scientia, conſideratio, contemplatio univerſi, & ſic porro ſignari. Sed & tot ſeculorum nomen poſſesſione ſua non dejicietur, ſi φύσεως nomen mundo aut univerſo imponas, & corpora naturalia & Phyſica, corpora mundana & univerſi explices, qvo ſenſu ego hactenus iſto nomine uſus ſum, & impoſterum utar.

§. 72.

Pergo (1 *Chaos, aut materia chaotica, dudum peracta creatione, adhuc non datur, & qvamvis daretur, nullius eſſet uſus.* Chaos & maſſa ſeu materia chaotica modernis Phyſicis & Chemicis ſæpè in ore, ſæpè in calamo. *Paracelſus* (*l.* 1. *Philoſ. t.* 2. *p.* 22.) Chaos aëri aſcripſit, & χάσμα ſeu ſpatium qvod inter cœlũ & terrã intercedit, chaos nuncupare videtur, (*t.* 10. *p.* 24.) ita verò philoſophatur: Dieſes Element (die Lufft) giebt auch die Krafft, daſs das Feuer an ihn hängt, und fällt nicht, und iſt eine Ket-

Ketten, das da hebt und trägt ohne alle materia und ſichtbarkeit: Das beſchiehet durch ſein Chaos, der da liegt zwiſchen der Haut (den Himmel forſan) und der Erden, und iſt medium interſtitium, und geht vom Himmel bis auff die Erden, darinnen ſchwebt das Feuer, darinn ſchwebt die Erde und das Waſſer, und zu gleicher weiſ wie das Dotter im Ei vom Clar gehalten wird, daſs er die ſchal nicht anrühret; Alſo hält der Chaos die globel, daſs ſie nicht fällt auff kein ohrt. Dieſer Chaos iſt unſichtbar, und grün zu ſcheinen, und iſt der ungreifflich klar und albumen, und hat aber die krafft, daſs er hebt, daſs die Erden abſtatt nicht rükken mag. *Add.* (*l.* 1. *de morb. metallar. c.* 2. *p.* 643. *ſq. Et tr. Secret. Mag. p.* 672.) Cœlum chaos ſubtile, leve, inſtar fumi, deſcribit, qvod reliqva elementa fert, &, ne ſeparentur, coërcet. Sed chai nomine *Paracelſum* abuti vel lippus videt. Chaos namq; *Eidem* ut plurimum eſt aër, qvod etiam veteribus, placuit, (*vid. Diſſ.* 1. §. 23. *p.* 15.) inde Chaomantiæ præſagia ex aëre *ipſe* ſumit (*l.* 9. *de Nat. rer. p.* 920. & *l.* 1. *Philoſ. ſagac. p.* 366.) & peſtis Chaosdæ nomine peſtis aërea ipſi venit (*fragm. l. de Epidem. c.* 1. *p.* 151.) qvamvis & *monente Mart. Rulando* (*Lex. Philoſ. & Med. p.* 143.) pro Iliaſte vel Iliaſtro Chaos ſumat.

§. 73.

Ludunt cum ſerii eſſe volunt, & chai titulo Chemici, qvando *cum Henrico Khunrath* (*Confeſſ. c.* 1. *p.* 4.) Macrocoſmi filium e ſemine mundi hermaphroditico generatum, & ſola obſtetricante natura in lucem editum, ſubjectum lapidis Philoſophorum univerſale, & catholicum Chaos vocant, de qvo plura *Theatr. Chem.* (*Vol.* 1. *tr. Artific. ſupernat. c.* 5. *p.* 320.) Spiritum mundi absq; dubio innuit *Khunrath*, qvi chaos aqvæ *Fabro* (*l.* 4. *Panchym. ſ.* 5. *c.* 19. *p.* 503.) audit, *Conf. Egidius de Vadis* (*Dial. Philoſ. c.* 4. *p.* 102.) Et qvamvis per ſimilitudinem materiam iſtam puriſſimam chaos appellari pronunciet *Chriſtoph. Pariſienſis*, (*l.* 2. *Elucidar. c.* 1. *p.* 228.) non

 deſunt

deſunt tamen è Chemicis, qvi chaos tale, qvale in creatione extitit, reipſa adhuc natura dari, resq; naturales arte (en omnipotentes Creatoris nullipotentes Simias!) ex eo, ut in prima creatione, produci, & vicisſim in primam ſuam materiam reduci poſſe, confidenter aſſerunt. Afferam *ex aperta arca arcani artificioſiſſimi vulgo der kleine Bauer* (*p. 32.* in qvem commentatus eſt *Joh. Walchius Schondorffenſis*, eſtq; *pars 2. Arca Arcani artificioſisſimi, cujus Autor Johannes Graſſeus alias Chortalaſſeus, J. U. Doctor & urbis Straleſundenſis Syndicus habetur Tom. 6. Theatr. Chem. p. 294.*) experimentum, aut ſi mavis fabuloſum portentum *à Nollio* (*l. 1. Phyſ. Hermet. c. 4. p. 109.*) etiam allegatum: Hilff, *ſagt der kleine Bauer*, ſamlet ein groſ vaſs mit Regenwaſſer, (liqvorem illum ex concavo Lunæ aut Vtopia qvadam allatum arbitratur *Kircherus l. 3. Mund. Magnet. p. 2. c. 3. experim. 5. p. 427.*) lieſſen daſſelbe ſeine Zeit putreficiren, darnach haben wier per cohobationem das klare blauechtige Waſſer à fecibus ſepariret, und in einen reinen hölzernen Zuber, Kübeln oder Balgen gethan, und an die Sonne geſezzt, alsbald ein tröpfflein olei noſtri benedicti & incombuſtibilis hinein tropffen laſſen: da kahmen ſuccesſione (forſan ſuccesſivè, ut *Nollius* & verſio latina habet) tenebræ ſuper omnem abyſſum, gleich wie im erſten tage der ſchöpffung geſchehen, demnach 2. tröpfflein, da hat ſich alsbald das finſter vom licht verlohren und geſchieden. Endlich haben wir mit weil, und der zeit gelegenheit, 3. 4. 5. 6. tröpfflein hinein gethan, nach dem allen iſt erſchienen und herfür kommen ſehr lieblich und verwunderlich alles, was in creatione mundi in 6. tagen gemacht und erſchaffen iſt, (v. g. Leviathan, Behemoth, Phœnix, Adam) mit allen umbſtänden, und unausſprechlichen heimligkeiten, auch dermaſſen, in welchen zu erzehlen mir ſinn und vernunfft gebricht, (qvis namq; cum ratione hoc in paſſu non inſaniret?) und gebührt mir ſolches nicht zu revèliren oder zu offenbahren, (optimè, der Herr

möchte

möchte ſonſt ſtammlen und roth werden) daher ſagt Hermes *in Tab. Smaragd.* recht: Ita mundus creatus eſt. Id verò eſt qvod nego: Deus creavit mundum ex Chao; Tu, *mi Ruſtice*, ex aqva pluvia putrida; Deus Verbo omnipotente; Tu olei benedicti & incombuſtibilis aliqvot guttulis. Par huic experimentum *Rochas* ſe feciſſe gloriatur, cujus verba *Boyle* (*Chym. Scept. part. 2. p. 62.*) Lectoribus offert. Proh portentoſas narrationes, φοινικὸν τι venundantes! Qvi jactabundum Empiricorum ſeu Chymiſtarum ex ſe, & ſua natura ad omnem fraudem & impoſturam proclive ingenium penitùs perſpexerit; phantaſticum hunc mundum nulla ratione ſubſiſtere poſſe facilè videbit. (*Kircher. c. l. p. 428.*)

§. 74.

Maſſam præterea ſeu materiam chaoticam fingit *Kircherus* (*l. 12. M. S. ſ. 1. c. 1. p. 347.*) usq; ad mundi conſummationem duraturam, panſpermia rerum omnium refertam, qvam ſententiam ſanctis etiam Patribus, imprimis *Baſilio*, (*in Hexaëm.*) tribuit. Sed ſi Chai conſtitutionem, *ſupra* (*Diſſ. 1. §. 19. p. 12.*) paucis delineatam, attento animo qvis expendat, maſſam illam chaoticam ſupereſſe neutiqvam credet. Si namq; in Chao potentia non naturæ, ſed creationis, res fuerunt, ad qvid, creatione dudum finita, proderit? qvomodò panſpermiam in utero feret & parturiet maſſa illa ipſa omnis ſpermatis expers? Qvomodo generationis operi velificabitur id, qvod creatio unicè ſibi vendicabat?

§. 75.

Nec III. *Semen univerſale in maſſa chaotica invenietur*, *ut iterum Kircherus* (*c. l. p. 348.*) *tradidit*, tanqvam ſuperabundans qvid, nulliusq; in hoc univerſo uſus. Si unumqvodq; ex ſuo ſemine particulari, ad qvid univerſale proderit? Mirabitur qvispiam Kircheriarnm acumen ubi, ut ex dictis patet, ſe-

men illud è ſole & planetis in aërem delabi, ibiq; aëreo junctum in aqvam, aqveoq; combinatum in terram, terreoq; ſociatum ab Archeo ſubterraneo in ſemen perfectum omnium eorum, qvæ fœcunda mater tellus continua & indeſinenti generatione profert concoqvitur & digeritur. Cui bono tot ſeminum combinationes? qvale compoſitum, imò monſtrum, emerget ſemen univerſale verè ita dictum, qvod è ſeminibus univerſi mixtis conſtet. Oblitus eſt *Kircherus* unamqvamq; concretorum & mixtorum ſpeciem ſuo gaudere ſemine particulari, ſuumq; individuum juxta ſeminis deſtinationem excludere.

§. 76.

IV. *Omne qvod naturaliter fit, fit ex ſuo ſemine ſeu ovo.* Ut ſemen & ovum anteà (§. 18. p. 67.) diſtinxi; ita & corpora diſtingvenda. Notum eſt corpora vulgò diſpeſci in ſimplicia & compoſita (*Ariſtot. 1. de Cœlo c. 5. t. 34. p. 608.*) Illa cœlum cum ſtellis & elementa; hæc meteora, mineralia, metalla, lapides, plantæ, bruta & ipſe homo. Ego puto commodius diſtingvi in creata ſubſiſtentia & immutabilia, & mutabilia ſive caduca, qvorum ſpecies non niſi per individuorum generationem conſervantur & propagantur. Prioris generis ſunt vel ſuperiora, aut ſuperlunaria, ut cœlum cum ſtellis, vel inferiora & ſublunaria, elementa qvatuor, corpora magna & totalia Neotericis nuncupata; Ignis, Aër, Aqva, Terra. Hæc namq;, qvamvis homogenea & verè ſimplicia Veteribus habebantur, talia tamen non ſunt, qvod Recentiorum obſervationes ſatis confirmant, ſed reſpectu corporum, qvæ concreta & mixta perhibent, talia ſaltem oculo non armato & ſuperficialiter illa intuenti reputantur. Mutantur, ſed non invicem transmutantur, nec ita mutantur, ut primam formam iterum acqvi-

rere

rere non posſint. Concipio illorum ſtatum, ut qvidam ſit naturalis, qvidam expanſionis, concentrationis qvidam, qvæ tamen & gradibus differunt, & qvod expanſorum elementorum particulæ per minima non rarò miſceantur, & variis phænomenis ſuggerant ſuos ortus. Patet id comprimis in Meteororum generatione, de qva forſan alibi. Et illa corpora monadica, ſoli creationi ſuam cum debeant originem, generationi non ſubjacent, nutum omnipotentis Creatoris præſtolantes, qvo in nihilum revertantur, è qvo, mediante illo divino juſſu, profluxere.

§. 77.

Mixta corpora, qvæ producta ſeminalia *Helmontio*, (*tr. cauſa & initia natur. n.16. p.29.*) in inanimata & animata diſpeſcuntur. Inanimata reputantur mineralia, metalla, & lapides. Et hæc cum homogenea potius *ipſi* etiam *Philoſopho* (*l.4. Meteor. c.10. p.821.*) videantur, organisq; nutritioni & generationi deſtinatis deſtituantur, analogicè qvidem ex ovo produci aſſeruntur, ſi verò accuratè loqvi velis ex ſemine, & producta qvaſi ovum conſtituunt, qvod (*Diſſertatione ſeqventi*) pluribus demonſtrabitur.

§. 78.

Animata in vegetabilia, & animalia dividunt, & hæc ex ſolo ovo provenire aſſerere nullus dubito. Aſſeruerunt hoc ante me multi è Philoſophis & Medicis, aſſeruntq; adhuc, ut ſeqventibus Diſſertationibus ad oculum dilucidabitur. Sufficiat impræſentiarum *Anglicani Democriti Guilhelmi Harvei* (*Exerc. 1. de gen. animal. p. 2.*) decretum. Nos aſſerimus, *inqvit*, omnia omninò animalia, etiam vivipara, atq; adeò hominem ipſum ex ovo progigni; primosq; eorum conceptus, è qvibus fiunt ova, qvædam eſſe, ut & ſemina plantarum omnium. (*Add. Exerc. 62. p. 272. ſq.*)

§. 79.

§. 79.

Qvod ad plantas attinet præivit ipſi *Empedocles*, ut *Diſſert. 4.* pluribus expediam; qvod ad animalia *apud Plutarchum* (*l. 2. Sympoſ. qv. 3. p. m. 192.*) *ita diſſerit Firmus*: Cùm varias animalium formas contineat mundus, nullum ferè genus expers eſt originis ex ovo, ſed volucria gignit & natantia innumera, & terreſtria, ut lacertas, & in aqva terraq; degentia, ut Crocodilos, & bipeda, ut gallinam; & pedibus prædita, ut locuſtam. Ideò haud abs re ovum in Orgiis Bacchicis conſecratum eſt, ut exemplum omnia gignentis & in ſe continentis. Cur Dianæ ovum conſecravit *Simmia Rhodius*? forſan qvod ea cunctà gignat, regerit *Joh. Phil. Thomaſin*, (*de vet. Donar. c. 30. p. 209.*) ex ovo, tanqvam principio, addere mihi liceat.

§. 80.

Et cur *Orphici & Pythagoræi* ova abominabantur, ut alii cor & cerebrum? ut ortus principia, reſpondet (*c. l. p. 190.*) *Plutarchus*. Qvocirca *Alexander Epicureus* riſus cauſa protulit Pythagoræorum verſum:

Sive fabam comedes, caput aut genitoris, idem fit.

Qvaſi ova, *addit Plutarchus* (*p. 191.*) innuiſſent Pythagorici illo verſu, dum fabas cyamos â fœtu dictos nominant: & ſentirent perinde eſſe veſci ovis, atq; animalibus, qvæ ova gignunt. Lucem his fœneratur (*l. 8. p. 588.*) *Laërtius*. Sed qvid de illo κυάμων ἀπέχου, an qvod vento eſſent plenæ, atq; animato maximè convenirent? (*ut. c. l. p. 582. iterum Laërtius*,) an qvod animarum receptacula? de qvo alibi (*l. 2. de mirac. mort. Tit. 10. §. 6.*) pluribus. Id huc ſpectare videtur, qvod *Heinſius* (*in not. in Horat. p. 58.*) ex *Malcho*, cujus *de Pythagoræ vita commentariolum Conradus Rittershuſius* edidit, citat, *Pythagoram* inter reliqvas παραλογίας hoc qvoq;

tradi-

tradidiſſe: Homines & fabas ſimul eſſe natas, & eadem qvidem ex putredine. Qvare *feſtivisſimus & urbanisſimus Autorum Horatius* judicat B. *Rappoldus*, (*Comment. in l. 2. Sermon. Horat. c. 20. p. 405.*) cum *Pythagoræ* de faba ſententiam traducere urbanè vellet, fabam non hominis cognatam è *Pythagoræ* ſententia, ſed præter expectationem *Pythagoræ* cognatam, & conſangvineam, ut interpretatur *Eilhard. Lubinus* (*Paraphr. in Horat. l. 2. Sermon. Sat. 6.*) vocavit.

§. 81.

V. *Si igitur omnia ex proprio ſemine vel ovo genuina idea inſignito, ortus rerum ſpontaneus, fortuitus vel generatio æqvivoca erit ſomnium, & ſvave philoſophantium delirium.* Dura verba, dicès, qvæ philoſophis bilem movebunt, tibiq; incutient, ubi ad experientiæ qvotidianæ tribunal appellabunt, ruborem. Metalla, mineralia & lapides in aëre, vegetabilibus & animalibus conſpicis generatos. In aëre generari Metalla, mineralia & lapides pluviæ evincunt lapidum, qvas inter prodigia retulit *Livius* (*l. 23. c. 31. p. m. 252. l. 26. c. 23. p. 304. l. 30. c. 38. p. 387. & alibi*) *Plin.* (*l. 2. c. 56.*) *Cardanus l. 14. de var. rer. c. 72. p. 931.*) Anno 832. in Gallia, concitata tempeſtate, ſaxea procella tectis arboribusq; ſtratis multos homines exitio dedit. (*Edo Neuhuſius l. 2. Fatidic. ſacr. c. 8. p. 150. Lintur. faſcic. ad ann. 1496.*) Imber lapideus in Fionia anno 1654. 30. Mart. cecidit. (*Th. Barthol. Cent. 4. hiſt. 49. p. 237.*) Anno 963. Lapis miræ magnitudinis è cœlo cecidit in Italia, (*Platina in vit. Pontif. Joh. XXIII. p. 152.*) in Alſatia Enſichemii anno 1493, qvi in æde ſacra ibidem adhuc cuſtoditur. (*Jacob Milich. in l. 2. Plin. c. 56. f. 134. b. Wolff. T. 1. memorab. p. 911.*) Apud caſtrum Villarum librarum 33. (*Tob. Adami not. marginal. ad tr. Campanellæ Phyſiolog. c. 7. artic. 5. p. 68.*) in Gallia provinciali pondere 54. librarum. (*Th. Bartholin. c. l. p. 336.*) Cauſam

daturus *Anaximenes* ſtellas corpora lapidea & gravia, *teſte Plutarcho* (*Tom.2. vit. in Lyſandro p.96.*) & cœlum inſtar fornicis concamceratum, ſolutosq; lapides nonnullos, aliosq; itidem futuris ſeculis ruituros, prodidit. (*Magnen. l. de Manna c. 6. p. 35.*) Pluit creta Calibus, (*Liv. l. 24. c. 10. p. 262.*) terra candida, (*Jul. Obſeqv. de prodig. p. 107.*) terra lutea Chemnitii, (*Georg. Agric. l. 3. de his qvæ effluunt è terra p. 554. & l. 5. de ort. & cauſ. ſubt. p. 526.*) terra cœrulea. (*O. Worm. l. 1. Muſ. ſ. 1. c. 5. p. 17.*) Aureum Jovis imbrem â Poëtis, comprimis *Horatio*, (*l. 3. od. 16.*) decantatum non curo, pluit tamen in Inſula Pelagia auro, (*Ammian. Marcellin. l. 17.*) & numis aureis, de qvibus *Thurneuſſer* (*Onomaſt. p. 44.*) & *Jul. Reichelt.* (*de Amulet. §. 30. p. 33.*) argenteo rore Romæ in foro Auguſti (*Xiphilin. in Severo.*) Ære propè Lurgeam (*ex Avic. Georg. Agricola c. l. & Garcæus de Meteor. p. 96.*) De venere aurea, propè Haynam d. 28. Maji 1677. cum fulmine cœlitus delapſa, *Balduin.* (*Miſcell. Cur. Dec. 1. A. 7. App. p. 254.*) Pluit ferro in Lucanis, (*Plin. l. 2. c. 56.*) in Taurinis. (*Scaliger. Exerc. 323. p. 1027.*) Pluit ſtanno & plumbo a. 1643 Budæ in Hungaria. (*Martin. Heinſius Diſp. de pluv. ſangv.*)

§. 82.

Metalla in vegetabilibus inventa fuiſſe, literis proditum. De aureis Heſperidum pomis nil afferam, cum poëtica ſint, an citria exponi debeant, differuit (*in Vertumno p. 66. ſq.*) *Joh. Goropius Becanus*. Sufficiat impræſentiarum aurum viſum in arboribus. (*Magnen. è Godigno in vita Sylveriæ. Democr. reviviſc. Diſp. 2. c. 4. p. 592. 595.*) Narravit amicus *Alexandro ab Alexandro* (*l. 4. Genial. dier. c. 9. f. 198. b.*) vites exiſtere peculiari miraculo, & admirationis præcipuæ, qvæ claviculos & plerumq; candicantia folia ex puro auro germinent, & ſimul coaleſcant. Capreolos aureos in vitibus aliqvando repertos fuiſſe, ex qvibus percuſſa moneta *è Baptiſta Fulgoſo & Gaudentio Merula* recenſet *Anton. Mizaldus* (*cent. 2. memor. n. 1. p. 24. & Cent. 8. n. 58. p. 176.*) *Joh. Baptiſta Porta* (*l. 2. Phytognom. c. 6. p. 51.*)

De bo-

De botris auri granulis circumveſtitis, & acinis compactis auri atomis mire ſplendentibus *Nobiliſſ. Sachſius, Fautor olim ſingularis* (*l. 1. Ampelogr. c. 8. p. 42.*) *Kircher.* (*l. 3. Mund. magnet. part. 5. c. 3. p. 502.*) *Becher.* (*p. 1. Metallurg. c. 1. p. 2.*) *Joh. Paterſon Hain* (*Miſcell. Cur. Dec. 1. Ann. 2. obſ. 113. p. 187.*) De aureis glandibus ex palma decidentibus *Plutarch.* (*d. Pyth. Orac. p. 48.*) qvem etiam citat *Steph. Rod. Caſtrenſ.* (*l. 3. de Met. Micr. c. 1. p. 98.*). In Tamariſco aurum latere *Becher.* (*Supplem. 1. c. 1. p. 58.*) autor eſt. Argentum ex arboribus in Iberia deflagratis *notante id Ariſtot.* (*l. d. mirab. auſcult. p. 1094.*) profluxit. Stannum in Geniſta reperiri, & ex ejus cineribus colligi *Marcus Friedrich Röſencreuzer* (*Aſtronom. infer. p. 59.*) & *Fried. Hoffmann.* (*l. 4. Clav. Schrœd. ſ. 1. §. 168. p. 480.*) notarunt. Mercurium inveniri in Plantis eqvidem dubitant *Borell.* (*cent. 3. obſ. 88. p. 266.*) *Rolfinck.* (*l. 6. Chym. in art. form. red. c. 4. p. 425.*) *Joh. Kunckel.* (*Chymiſche Brille p. 162.*) Retulit tamen *celeberrimo Joh. Nic. Pechlino* (*Exerc. de purgant. ſ. 2. c. 23. p. 300.*) oſtentatam Lugduni ſibi fuiſſe arboris particulam vivo obſitam Mercurio *Doctiſsimus Nicolaus du Port, Medicus Colonienſis,* vidit & tale lignum *elegantiſsimus Polyhiſtor Morhof.* (*de transm. metall. p. 42.*) *Joh. Kunckel* (*c. l.*) poſſidet adhuc & depingi curavit (*in Genio errante c. 18. lit. S. b.*) *incomparabilis noſter Major.*

§. 83.

Non dicam hic de denario in Tubere invento, mordentis Licinii primos dentes inflectente *de qvo Plin.* (*l. 19. c. 2.*) & *Joh. Scultet.* (*Orat. de plant. cult. p. 38.*) Nec de arbore arma pariente, cujus etiam *Plinius* (*l. 16. c. 39.*) meminit: Megaris diu ſtetit, *narrat,* oleaſter in foro, cui viri fortes affixerant arma, qvæ cortice ambiente ætas longa occultaverat. Fuitq́; arbor illa fatalis excidio urbis præmonitæ oraculo: qvod ſucciſæ accidit ocreis galeisq́; interius repertis. Hauſit hanc narrationem è *Theophraſto* (*l. 5. hiſt. plant. c. 3. p. m. 70.*) ſed, *rectè advertente Jacobo Dalechampio,* (*annotat. in h. Plinii l. p. 740.*) incurioſè vertit. Ita lapides & alia

 arbo-

arboribus infigi potuerunt, atteſtante id eqvina mandibula qvercino trunco infixa, *ap. Ol. VVorm.* (*l. 3. Muſ. c. 25. p. 342.*) & cornu capreoli Alno unitum *ap. Exc. Majorem,* (*de Plant. Gottorp. monſtroſ. §. 26.*) Hæc namq; non natura, ſed caſus, aut induſtria hominum combinavit.

§. 84.

Sunt etiam, & generantur in plantis mineralia. Stipticæ facultatis vegetabilia id habere à Vitriolo & Sale Armoniaco *Joſeph. Qvercet.* (*tr. 2. de ſignat. rer. int. p. 99.*) docuit. Sed qvod in cydonio eſt aſtringens vitriolatum nominare, perinde ſtultum pronunciat, *Pechlinus* (*c. l. ſ. 1. c. 14. p. 157.*) atq; vitrioli cydoniatum dicere, qvi tamen nodis & gemmis Qvercuum ſuccum vitriolatum *alibi* (*tr. de Habit. & nigr. Æthiop. c. 13. p. 147.*) non denegavit. Nitrum ſalici & qvercui ineſſe credunt; illud qvidem *D. Daniel Ludovici* (*Miſc. curioſ. Dec. 1. Ann. 5. obſ. 203. p. 285*) hoc verò *Plinius* (*l. 31. c. 10.*) Qvercum lapides & pumices gignere *è Porta* (*l. 5. Phytognom. c. 30. p. 359.*) *conſtat.*

§. 85.

In brutorum & hominis corporibus, omnibusq; eorum partibus, lapides generari probatione non indiget, qvod alibi (*l. 3. de mirac. mort. Tit. 2.*) pluribus demonſtravi. Nitri cryſtallos flagrabiles ex inſectis, comprimis Lumbricis terræ paravit *Beccherus* (*l. 1. Phyſ. Subt. ſ. 5. c. 1. n. 51. p. 329.*). An verò & metalla, non ita planum. In capitibus Auratarum ſeu Truttarum aurum nonnunqvam inveniri qvidam teſtantur, iterum refert *Becher.* (*l. c. ſ. 4. c. 6. n. 17. p. 286.*) *O. VVorm,* (*l. 1. Muſ. ſ. 3. 2. p. 114.*) *Caſp. Schvvenckfeld* (*l. 3. d. Foſſil. Sileſ. p. 368.*) Aurum etiam in ventriculis habent, ſed ex fluminibus & rivis, inde decepti, qvi ex his materiam L. P. parare voluerunt. (*Parac. Auror. Philoſ. c. 8. p. 83.*) Retulit *Beechero D. Rapp. Electoris Moguntini Medicus* ſe ex cantharidum alis ſiccatis & pulveriſatis, ac plumbo in capella liqvefacto imbibitis magni interdum piſi qvantitate aurum accepiſſe, (*l. c. & ſuppl. 1.*

c. 4.

c. 4. p. 63.). De capillis *alibi* (*l. 2. de mir. mort. Tit. 9. §. 21.*) In cæſarie Abſolon verum aurum agnoſcamus neceſſe eſt, pronunciat *Steph. Rod. Caſtrenſis* (*l. 3. de Met. Microc. c. 2. p, 98*), ſiqvidem pretium ſoli auro debetur. De aureo Pythagoræ femore, & qvi aurum in capite *apud Platonem* (*in Euthydemo*) geſtant *c. l.* (*de mir. mort. §. 15.*) De aureis & ferreis in homine dentibus olim (*l. 1. de mir. mort. Tit. 6. §. 13. p. 64.*) Circa partem anteriorem cerebri cujusdam Metallicolæ ramenta plumbi inventa eſſe (*è Chronico minerali*) *Beccherus* (*c. l.*) memorat, in metallifoſſorum, aurifabrorum, & Chemicorum, mercurium freqventer tractantium, ut & illorum, qvi mercurialibus medicamentis crebrò utuntur, vaſis & cerebro mercurium vivum reperiri novum non eſt. (*Vid. Kircher. l. 3. Mund. magnet. part. 5. c. 3. p. 583. Morhoff. c. l. p. 43. Fried. Hoffmann. l. 3. Clav. Schrœd. c. 15. §. 5. p. 259. T. 2. p. 1. Ephem. Erud. 14. p. 263.*) Ex vulnere cauſtico excitato ſtillabat, *Rhenano teſte* (*Diſſ. pro verit. Chym.*) ut & è mamilla cancroſa, *notante Th. Bartholino* (*cent. 1. hiſt. 7. p. 18.*) e cadavere (*M. C. Dec. 2. A 3. o. 159. p. 307.*) mercurius vivus. Sed in his nō erat productus, ſed per minima inſenſibiliter reſpiratione, aut alio modo attract9 & ingeſtus.

§. 86.

Qvod ad vegetabilia, eadem æqvi voca & fortuita generatione absq; ſemine produci, tot obſervationum myriades declarant. In genere terræ virtutem in creatione vi omnipotentis verbi: Germinet & producat terra herbam virentem, concreatam putant, ſecundum qvam absq; ſemine omne genus herbarum exhibere poſſit. *Vid. Joh. Amoſ. Comen.* (*Phyſic. Reform. c. 9. p. 126.*) Experimentis rem firmant. Terram ex aliqvot orgyis ſub terra abſconditam, omni ſemine, aut radicum fibris, deſtitutam Solis radiis rori & imbribus exponunt, & poſt aliqvot dierum aut ſeptimanarum decurſum illam herbeſcere & germina producere dictitant. Nec hoc experimento contenti, terram illam virginem urunt, & igne forti calcinant, ne cujusdam ſeminii occultati ſuſpicio ulla relinqvatur. Terra iſta expoſita tandem germinat, graminis

 & her-

& herbarum proventu luxurians, ſed interveniente juſti temporis interſtitio. Si ſumatur ad ulnæ profunditatem primo anno fœcunda erit, ſin altius depreſſam congeras, non niſi poſt anni bieniive ſpatium monet *Verulamius (cent. 6. Sylv. Sylv. Exper. 563. col. 467.)*

§. 87.

Sed detur, terram iſta germinandi facultate pollere, qvod tamen niſi cum grano ſalis accipiatur, ſecundum, illa qvæ infra dicturus ſum, ſimpliciter non admitto; tamen extra terram loca ſpontaneis commoda inveniuntur. In cœlo eſſe plantas nemo, præterqvam analogiæ procus, facilè dixerit, qvomodo ſtellæ *apud Voſſium (l. 5. de Idolol. c. 7. p. 32.)*, aut *apud Paracelſum (l. de Metor. c. 9. p. 92.)* Flores cœleſtes nuncupantur. Paulò ante mortem Johannis Ducis Electoris Saxoniæ Iſenaci in nubibus arbor antiqva marcida & everſa conſpecta eſt. *(Peucer. de divin. gen. p. 733.)* Meteora veluti plantas aëreas concipit *Joh. Marc. Marci (part. 2. Philoſ. vet. reſtit. Subſ. 1. p. 149.)* Tria lilia Francorum, qvæ haſtas eſſe qvidam reputant *(V. Autor der Monatlichen Unterredungen Menſ. Septembr. 1690. p. 825.)* è cœlis delapſa, ſed alio ſenſu, audacter ebuccinavit *(l. 4. Frantic. p. 94.) Joh. Gorop. Becanus.* Sed hæc parum ad rhombum.

§. 88.

De pluviis annonæ è *VVolfio, Thuano, Velſchio* ſingulares hiſtorias collegit, *Excellens naturæ ruſpator Fautor & amicus colendus Dn. D. Philipp. Jac. Hartmann. (Exerc. de generat. mineral. vegetab. & animal. in aëre c. 1. §. 13. p. 13.)* qvi & hiſtoriam pluviæ frumenti noſtro ſeculo 1686. in Curonia *(c. 2. §. 2. p. 20. & §. 6. p. 25.)* accuratè deſcriptam, granorumq; fabarum & piſorum figuram delineatam exhibuit: Talem pluviam in Campania factam etiam notavit *Vincentius (l. 23. Spec. hiſt. c. 148.)* Pluiſſe triticum ferunt non procul â Lutzenburgo, *Cornel. Gemma (l. 2. Coſmocrit. c. 2. p. 56.)* ſcripſit, in Thuringia non procul ab Eckersberg & Weimaria alicubi ad altitudinem duo-

rum

rum digitorum anno 1550. 25. Jun. (*Paul. Eber. Calendar. p. 216.*) in Saxonia anno 687. (*Edo Neuhuſ. l. 2. ſacr. Fatidic. c. 8. p. 650.*) optimo ad panes ſecali; (*Andr. Moller. Annal. Freiberg. p. 313.*). In Scania, qvod terræ commiſſum copioſius qvam pro terræ ſcanicæ conſvetudine emergebat. (*Th. Bartholin. Cent. 4. hiſt. 16. p. 251.*)

§. 89.

Spectant huc plantæ in turribus, tectis, rupibus, muris, ſtatuis, progerminantes. Laurus ex ara Cæſaris enata fertur, de qva *apud Cuchler.* (*Cent. 2. Anthol. c. 20. n. 44. p. 120.*) Epigramma, è ſtatua Lyſandri lapidea herba faciē ejus tegens pullulabat. (*Plutarch. de Pyth. Orac. p. 480*) In hunc usq; diem in turris Capitolinæ palatiiq; apicibus uti & in ſtatuis, in Romanis viridariis arbores cernuntur. *Kircher.* (*l. 12. M. S. ſ. 1. c. 8. p. 364.*) Ficum arborem ex ingentium Nemauſenſis amphitheatri ſaxorum rimis anguſtisſimis prodeuntem vidit *Eximium Daniæ ſuæ decus O. Borrichius* (*Vol. 1. Act. Hafn. obſ. 59. p. 118.*) qvi & qvercum marinam & linum marinum durisſimis, planis & ſtrictisſimi corporis ſilicibus innatas vidit, ac ſi viſco agglutinatæ tenerentur. Plura *Licetus* (*l. 3. de Spont. viv. ortu. c. 15.*) *Verulam.* (*s. l. Experim. 570. col. 868.*)

§. 90.

Ex aqvis ſpontaneo ortu plantas propullulare poſſe teſtari poſſet ſpuma illa viridis tubuloſa, qvæ æſtivo tempore in ſtagnis, lacubus & ciſternis ſupernatat, cui muſcum in arboribus & terris limoſis & argillaceis deberi conjicio. Herbulam virentem, folioſam, anonymam; absq; ullo ſeminio ex aqva fontis mineralis per alembicum deſtillatæ vitreæ ampullæ anno 1608. enatam, deſcribit *Libavius* (*l. 4. Hexaëm. p. 357.*) depingit (*Ath. Kircherus* (*l. 12. M. S. ſ. 4. c. 5. p. 437.*) In aqvis ferventisſimis Thermarum Acqvenſium herbas vireſcere *F. Leandro Alberti* (*Deſcrittione di tutta Italia f. 369. a.*) meminit; herbam in medio maris Balthici

thici creſcentem vidit *Beccher.* (*l. 1. Phyſ. ſubt. ſ. 4. c. 6. n. 17. p. 257.*) In aqvis plantæ naſcuntur non actis in fundum radicibus, qvod expertus *Verulamius* (*c. l. experim. 567. col. 867.*) annotat. Obſervatum etiam antiqvis *v. g. Ariſtoteli* (*l. 2. d. plant. c. 3. p. 1063.*) plantas pullulare in nive, ſed compacta & putrefacta, qvod addit *Verulam.* (*c. l. Exper. 569.*) de qvo egregia *Accuratiſſimus Th. Bartholin.* (*de Niv. uſu Med. c. 20. p. 67. ſq.*)

§. 91.

E terra qvando oriuntur, oriuntur ut è matre, earumq; deſtinato elemento, qvodq; ex ſemine proprio oriantur, comprimis ſi climati familiares, conjectura non inanis eſt. Conſtat tamen & peregrinas noſtro ſub cœlo aliqvando fuiſſe repertas. Tabacum ex America petitum *teſtante Libavio,* (*l. 4. Hexaëm. p. 270.*) ſylveſtre olim repertum eſt in radicibus ſylvæ Thuringiacæ non procul Römhilda oppido, qvanqvam ea ſpecie, qvæ Hyoſciamus Peruanus dicitur.

§. 92.

Plantas ſubterraneas non negat *Borellus,* (*cent. 4. obſ. 34. p. 304.*) obſervatione ſingulari firmat easdem *acutiſſimus Eraſmius Bartholinus* (*Miſcell. Cur. Dec. 1. Ann. 2. obſ. 170. p. 268.*) qvando in effoſſo capulo viſam delineat. De Eqviſeto ſubterraneo, *à ſolertiſſimo Dn. D. Chriſtiano Menzelio* ſibi revelato, *Joh. Sigismund. Elbolz.* (*Dec. 1. Ann. 6. M. C. obſ. 17. p. 26.*) De Arboribus ſubterraneis *Mart. Schook.* (*d. Turfis c. 12. p. 72. ſq.*) Lignum foſſile in Umbria Aqva ſpartæ inventum, Cedro Mauritanico ſimile, de qvo librum edidit Romæ *Franciſcus Stellutus* A. C. 1641. figuris exornatum (*Th. Bartholin. tr. d. Unicorn. c. 37. p. 376. & Cent. 5. hiſt. 72. p. 145.*) Exhibetur libellus iſte *Decur. 1. M. C. Ann. 3. p. 606,* ubi anno 1635. Romæ impreſſus traditur. Allegatur *ibidem* (§. 2.) *Plinium* (*l. 36. c. 18.*) è Theophraſto Ebeni foſſilis mentionem facere, ſed ebur foſſile *Dalechampii* editio habet. Ebenum foſſile Hildesheimium *apud Georg. Agric.* (*l. 7.*

Foſſil.

Foſſil. p. 639. Fried. Lachmund. *Admir. Foſſil. ſ. 3. c. 19. p. 61.*) lapis eſt. Lignum foſſile Islandicum deſcribit *o Wormius* (*l. 2. Muſ. c. 16. p. 168.*) *Apud Georg. Stengelium* (*c. 2. de Monſtris* §. 12.) frutices, herbulas in ſaxis fiſſis propè Kelhemium in Bavaria inventas legimus. Fodinas Germanicas in fundo fœteſcere ex aliorum relatione docuit *Verulamius* (*c. l. exper. 571. col. 868.*)

§. 93.

Referas huc è propriis cineribus reſurgentia vegetantia. Hac ratione *Theophraſti* & *Plinii* relatu Olea, in totum combuſta, revixit, *commentatur Kircherus* (*l. 12. M. S. ſ. 1. c. 7. p. 358.*) Ajunt, recitat *Georg. Entius* (*Demonſtr. circul. ſangv. Digr. 6. p. 165.*) è cineribus combuſtæ palmæ, qvæ Græcis Φοῖνιξ dicitur, novam arborem exſurgere. Atq; hinc forſan orta eſt fabula de Phœnice. Phœnicis verò hiſtoria *Judicio Th. Bartholini* (*de Med. Poët. p. 128.*) ſapit metempſychoſim Pythagoricam, vel certè Chemicorum opera confirmat, qva ex cineribus plantarum plantas reſuſcitant. De plantis ex cineribus reſuſcitatis *prælaudatus Kircherus* (*l. 3. Mund. magn. p. 3. c. 4. qv. 1. p. 463. & l. 12. M. S. ſ. 4. c. 5. p. 436.*) & *Steebius* (*Cœl. Sephirot. c. 3. ſ. 3. n. 376. p. 56.*) qvædam habet. De Roſa ex cineribus uſtis, ſolerti tamen & ingenioſo artificio excultis & elaboratis, qvatuor & viginti horis nata, adulta perfectaq; *P. Servius* (*de ungvent. armar. p. m. 547.*) De tritico *Hon. Fabri.* (*l. 2. de Plant. prop. 103. p. 57. add. prop. 134. p. 67.*) De Fœniculo *Febure.* (*præf. in Chym.*) E cineribus etiam elixiviatis & retolleis Abſinthium propullulaſſe *Elsholzius* (*l. 1. Horticult. c. 5. p. 20.*) annotat, qvod iterum (*l. 7. M. S. ſ. 1. c. 2. p. 349.*) *Kircherus* confirmat. Idem &, qvidem felicius, obtingere, ſi ſalia è cineribus extracta & cryſtalliſata terræ committantur, experimento Pharmacopœi Viennenſis (*Comment. in Poppium tr. de Antimon. p. 762.*) probat *Joh. Agricola.* De Adiantho *Georg. de Sepibus.* (*p. 2. Muſ. Colleg. Rom. S. I. c. 9. p. 45.*) Plura *Kircher.* (*l. 12. M. S. ſ. 4. c. 5. p. 436.*) *Th. Bartholin.* (*Vol. 1. Act. Haſn. obſ. 42. p. 78.*)

p.78.) *O. Borrich.* (*l. 2. Hermet. Ægypt. c.5. §.9. p.360.ſq.*) *Daviſſon.* (*prodr. comment. in Med. P. Severin. artic. 4. p.176.*)

§. 94.

Scribunt præterea herbas ex herbis conciſis enaſci ut plurimum. Inter hos eſt *Sylveſt. Ratray* (*de cauſ. Sympath. & Antip. p.30.*) Ex herba Raporum & Raphani putrefacta genuinum ſemen enaſci, & ex hoc plantas *doctus qvidam & fide dignus Vir* olim retulit, experimentum aliqvoties ſine ſucceſſu tentatum. Si qvid conjectura aſſeqvor ſemina illa putatitia fungi fuerunt, qvales olim in Cinaræ putreſcentis foliis animadverti. (*Vid. Miſc. Curioſ. Dec. I. Ann.6. & 7. obſ.174. p.237.*) Fungos è ſucco fruticum & arborum, eorumq; lignis & radicibus putreſcentibus oriri conſtat. Agaricus in Larice qvibusdam, *teſte Joh. Meſue,* (*l. 2. de Simpl. med. c 3. f. m. 68. a.*) eſt ſicut apoſtema per modum putrefactionis factum. Viſcum ſeneſcentium arborum eſſe proventum qvotidiè experimur.

§. 95.

Naſcuntur etiam plantæ in plantis ortu, ut credunt, ſpontaneo. Viſæ ante bellum Danicum in arboribus natæ fruges. (*Everh. Waſſenberg. p. 2. Flor. German. p. 90.*) De hordeo in cacuminibus arborum *Majol.* (*Tom. 1. Diet. Canic. Colloq. 2. p. 193.*) Lilium convallium in Qvercuum cacumine aliqvoties vidi. Bellis in pyro prope Mindam obſervata. (*Relat. Hiſtor. Francoſ. ann.1631. p.43.*) Polypodium in Salice, (*Ezler. Iſagog. c. 1. p. 23.*) ut & Sambucus, de qvo varia ex aliis *D. Jacob. Wolf. amicus honorandus* (*Scrutin. Amulet. c.2. p.110.*). Ceraſus è qvercu *apud Kircher.* (*c.l. ſ.1. c.8. p.363.*) qvi addit Laurum in platano qvandoq; natam *Plinius* refert; juglandem ceraſum & qvercum *teſte Scaligero*; in lauro verò ficum ſuos ſtatuiſſe natales; oleam ilicis partum *Pauſanias* (*in Arcadicis*) *memorat.* Sorbus aucuparia in multis Sylveſtrium arborum cada-

cadaveribus cernitur. Filicem in arbore ramis orbata *Verulam.* (*Sylv. Sylv. Cent. 6. n. 558. col. 866.*) vidit. Qvercum enatam ex trunco ſylveſtris Pini; & iterum Piceam emergentem ex fagi putrefacti ſtemmate *Libavius* (*l. 2. Batrachior. c. 25. p. 361.*) De herba *apud Athenæum* (*l. 2. Deipnoſ.*) tuberibus ſupernaſcente *Th. Bartholin.* (*Vol. 2. Act. Hafn. obſ. 25. p. 58.*) Muſcum è fungo Lupi ſeu Boviſto delineat *ap. Eund. Joh. Val. Willius.* (*Vol. 3. obſ. 81. p. 145.*)

§. 96.

In adhuc viventibus brutis etiam vegetabilia, qvamvis rarò, obſervata legimus. Captus jam cervus eſt, teſtatur *Ariſtoteles* (*l. 9. hiſt. anim. c. 5. p. 1047.*) hederam ſuis enatam cornibus gerens viridem, qvæ cornu adhuc tenello fortè inſerta, qvaſi ligno viridi coaluerit. Idem *Plinius* (*l. 8. c. 32.*) de qvo tamen dubitare videtur *Verulam* (*Sylv. Cent. 6. n. 550. col. 866.*) De Cancris muſcoſis *Sachſius* (*l. 1. Gammarol. c. 9. p. 185.*) E Carpionis in capite cute muſcus ſine terra ulla prodibat copioſè ſatisq; longus *Borellus* (*Cent. 1. obſ. 10. p. 18.*) Balenæ etiam muſcoſæ viſæ, (*Kircher. l. 12. M. S. ſ. 1. c. 8. p. 364. Joh. Schreier OſtIndiſche ReiſeBeſchreibung c. 28. p. 75.*) imò dorſo viridi & herbis Alga (*de qva Licetus l. 3. de ſponte naſc. viv. ort. c. 82.*) decorato adeò, ut qvandoq; anchoras in eas navigantes projecerint, & in eorum dorſis tabernacula poſuerint, ignemq; accenderint, (mole enim ſua Inſulam ſatis magnam æmulabantur) ſed tandem calore penetrante recedebant illos attonitos relinqventes. (*Borell. c. l.*) Lucianeum qvid ſpirat hæc relatio, qvippe qvi ſe & ſylvas, agros & terram firmam triginta milliarium Italicarum in Balæna reperiſſe (*l. 1. verar. narr. c. 14. p. m. 95. edit. Germ.*) jocabatur. In monſtri marini, qvod *Nobilliſſ. noſter Paulini.* (*Decur. 1. Miſc. Cur. Ann. 8. obſ. 51. p. 79.*) deſcripſit, dorſo arbores ſatis proceræ aliqvando viſæ. Scribitur, narrat (*c. l.*) *Kircherus* in Arabum hiſtoria Delphinos, qvorum ingens in Erythræo mari copia eſt, ſubinde corallinis ſtipitibus obſitos reperiri. Draconum mu-

ſcoſorum etiam *Borellus* (*c.l.*) meminit, qvi & apem vidit qvaſi ſerto floſculorum coronatam, adeo, ut ejus oculi & os ſerto illo flavo tegerentur, & neſciret qvo tenderet. Herbula qvaſi ſemper vivum minus cum duodecim cauliculis è cranio ortnm ducebat (*c. l. p. 57.*)

§. 97.

E brutis & earum partibus demortuis plantas emergere hiſtoriarum monumenta declarant. Eqvus, ſi poſt mortem putreſcat, fœnum (cur non potius gramen?) avena & hordeum *teſte Fabro* (*l. 5. Panchym. ſ. 1. c. 2. p. 595.*) fit. Cicutam, aconitum, napellum, hyoſcyamum, aſam fœtidam ſeu cotulam naſci in foſſis & locis in qvæ morticina variorum animalium cadavera conjiciuntur, *prodidit Kircher.* (*l. 9. M. S. ſ. 1. c. 3. p. 129.*) Satyrion ex putrefacto animalium ſemine derivat *Idem*, ut ex ſemine cervi boletum ſeu fungum cervi venatores. (*Vid. Mathiol. l. 5. Epiſt. med. p. 252.*) invenit *Plinius* (*l. 19. c. 10.*) aſparagum naſci ex arietis cornibus tuſis, atq; defoſſis, ſi ſulcatim defodiantur, explicat *Conr. Heresbach.* (*l. 2. de R. R. p. 215.*) qvod non ideò grande miraculum *Honorato Fabri* (*l. 2. de Plant. prop. 154. qv. 16. p. 88.*) videtur.

§. 98.

Plantas in & ex hominibus viventibus non ſine ſtupore aliqvando natas & enatas audimus. Deos hic etiam & Deas ſuas in ſcenam producunt Poëtæ pagani cum idololatris aliis. E lacte Junonis Lilii albi natales deducunt, cum dormientis uberibus Herculem infantem Jupiter admoviſſet, qvo abexcitata pars lactis, qvæ in cœlum cecidit, viam inde vocatam lacteam fecit; at qvæ cecidit in terram, fecit candida lilia, cum prius eſſent crocea. (*Natal. Com. l. 2. Mythol. c. 4. p. 133.*) Roſam naturæ illud vexillum, pompam & triumphum; ex ſudore Mahumetis ortam fingunt Turcæ, (*Auger. Gislen. Busbeqv. Epiſt. Turcic. 1. p. 27.*) oryzam

addit

addit *Baldeus* (*Deſcript. Malabar. & Coromandel. c. 6. p. 33.*) haud aliter, ut à ſangvine Veneris roſarum colorem arceſſunt fabulantes Poëtæ, unde forſan ῥοδοχροῖς *Nonno* (*l. 12. Dionyſ. v. 111. p. 333.*) Miram Panis pellem notat *Albricus* (*Imag. c. 9.*). Pellis, *inqvit*, Panis in parte pingebatur ſtellata. Femora habebat denudata cum herbis & arboribus prodeuntibus ex ea. Sed hæc fabuloſa, æqvè ac illa *apud Selden.* (*l. 3. de Nat. & Jur. Cent. c. 11. & l. 1. de Synedr. c. 11. p. 451.*) *Abu Mahumeth Muſtaphi Ben Alſit Haſen* narrat, Adami Protoplaſti lacrymas, qvas pœnitentia per centum, imo tricenos annos, ipſi extorſerat, in Aloen, Zingiber, Caryophyllos & ſimilia aromata mutatas, & apud Poëtas de Lycurgi Bacchum perſeqventis, lacrymis in braſſicam degenerantibus olim me legiſſe recordor. Dœmonis Aydiſtis, qvem è ſemine Jovis ſomno oppreſſi in terram delapſo natum fingunt, membrum viride abſciſſum in amydalam, *allegante Nicol. Leoniceno* (*l. 1. var. hiſtor. c. 37. p. 56.*) faceſſit.

§. 99.

Nec ad rem multum facit, qvando nævi plantas referentes in humano corpore viſui obveniunt, v. g. figura uvæ in gena viri; tulipa in femore, ſertum florum cum vitta in cute puellæ, in viro ceraſum, lentes circa regionem cordis, morum nigrum in femore proprio, de qvibus (*Cent. 3. obſ. 49. p. 235.*) *Borellus*. Braſſica capitata cum foliorum venulis, (*Georg. Sebaſt. Jungius Miſc. Cur. Dec. 1. Ann. 1. obſ. 135. p. 300.*) Fragum, (*Forer. viret. philoſ. Diſp. de Magnet. th. 8. p. 177.*) Malum punicum, (*Panarol. Pentec. 1. obſ. 12. p. 7.*) Nec excreſcentiæ figuratæ locum hic inveniunt, e. c. naſus ſempervivi folia referens, ut & glandula aperta in formam roſæ centifoliæ ſe explicans, (*apud Borell. Cent. 4. obſ. 100. p. 351.*) aut ani excreſcentia thymi imaginem, ob qvam etiam thymus audit, repræſentans. (*Sennert. l. 3. Med. Pract. p. 2. ſ. 1. c. 10. p. 236.*) Polypos cordis plantas in homine

vocat *Marc. Malpighius (de viſc. ſtruct. p. 162.)* Neq; de ungvibus & capillis humanis, qvas paſſim inter plantas microcoſmicas reputat *Honoratus Fabri*, de qvibus alibi *(l. 1. de Mirac. Mort. Tit. 1. §. 1. 3. p. 5. & Tit. 10. §. 2. p. 93.)*

§. 100.

Dari verò in homine vivo vegetantia obſervationes docent. In partibus externis qvidem obſervatio *D. la Mothe le Vayer* teſtabitur, qvi, *narrante Borello (Cent. 1. obſ. 10. p. 18.)* hominem ſylveſtrem muſcoſum extitiſſe *(in opuſculis)* ſcripſit. Qvod ad viſcera & cavitates internas hiſtoriæ variæ præſtò ſunt. Angvem illum bifidum flagelloſum in lævo cordis ſinu Joh. Penant anno 1637. Londini *ab Eduardo Majo* repertum, & *ab Eodem* Britannica lingva, latina verò *à Riccardo Londone* Londinenſi deſcriptum, cujus etiam *Zacutus Luſitan. (l. 1. Prax. med. admir. obſ. 140. p. 37.) & Petrus Servius (tr. d. Ungt. armar. p. 543.)* mentionem fecerunt, ferè inter plantas numeraſſet *Marc. Aurel. Severin. (l. noviſſ. obſ. abſceſſ. c. 36. §. 2. p. 287.)* ego inter polypos, carnea namq; ſubſtantia erat ingyros collecta ſerpentem referens, *ut idem (c. l. p. 281.)* Plura de ejus geneſi *Rich. Lovver (de Corde c. 2. p. 130.)* Qvidam cum diu urinæ difficultate laboraſſet tandem culmen hordeaceum geniculatum *teſte Plutarcho (l. 8. Sympoſ. qv. 9. p. 362.)* excrevit. De ſpica ſiliginea è tumore circa coſtas *Excell. Chriſt. Franc. Paulini (Miſc. Curioſ. Dec. 1. Ann. 8. obſ. 87. p. 138.)* Puellæ cuidam frumentum, fila, piſa & alia ex oculis magno dolore ſtillabant. *(Th. Bartholin. Vol. 1. Act. Hafn. obſ. 3. p. 10.)* Scoparum minutim conciſarum copiam alius *(ap. Greg. Horſt. l. 1. Epiſt. med. ſ. 7. p. 417.)* ex oculorum globis emittebat. De Piſo è naribus *Voſſ. (l. 5. Idol. c. 2. p. 8.)*. Aretii mulieri è naſo ſpicæ farris enatæ, qvæ paulò poſt ejusdem granorum non parvam copiam vomitu reddidit, anno ante natum Chriſtum 94. In pago Dulleſeld puero intumuit genu maximè, qvod adapertum effudit

grana

grana ſiliginis avenæ & hordei anno N. C. 1124. (*Abbas Urſpergenſis Chron. ad h. a. Gemma l. 1. Coſmocrit. c. 8. p. 185.*). Fruſta lignorum excreta notat *Idem* (*l. 2. c. 4. p. 208. & 212.*) Stramen vomitu & per alvum rejectum *D. VVincler.* (*Miſc. Cur. Dec. 1. Ann. 6. & 7. obſ. 31. p. 64.*) Caſtaneas ex abſceſſu eduxit *Cabrolius* (*obſ. 17. p. 16.*) Semen, Hyoſcyami ſemini gemellum, per alvum ejectum olim (*Miſc. Curioſ. Dec. 1. Ann. 1. obſ. 147. p. 323.*) in literas retuli. Ramus Abietis viridis in demortui ventriculo inventus. (*Dan. Becker von Preuſiſchen Meſſerſ hlukker qv. 2.*) Arborem mulieri in ventre creſcere ex urina divinabat audaculus Empiricus. (*P. Foreſt. l. 2. de incerto urin. jud. n. 42. p. 198.*) Arborem tamen fruſtillatim egerebat mulier *apud Gemmam* (*l. 1. Coſmocrit. c. 6. p. 101.*) Omnem autem admirationem ſuperat hiſtoria qvæ Anno 1634. in Saguntina Diœceſi oppido Orea dicta contigit, & qvam *Joh. de Gonzalo Philippi IV. R. H. Medicus ad Lubertum Erbenium ſcripſit*, qvamq; *celeb. D. Chriſt. Langius* (*Miſcell. Cur. Med. 28. p. 77.*) divulgavit, narrat & (*è Leonis Allatii faſcic. Epiſt. ad literatos*) *Kircherus* (*l. 12. M. S. ſ. 1. c. 8. p. 364.*) *& Petrus Servius* (*tr. de Ungt. armar. p. m. 543.*) his commemorat. Roccus Martinus Hiſpanus (*paſtor ovium Terraconenſis,*) annum agens 18. (*autumnali tempore*) ex arbore lapſus pruni ſylveſtris ſpinum (*Spinum Endinum*) offendit, qvi cum altius in thoracem penetraſſet (*in os ventriculi multæ ſpinæ ingreſſæ fuerunt*) intus hæſit. Ergò diu (*per duos annos, & menſes tres.*) latens paulatim eò humores attraxit, tumorem concitavit & apoſtema: qvo maturato ſectoq; & magna puris vi expreſſa, ille eqvi ſeto ſimillimus jam factus, hoc eſt, multis filis veluti radicibus actis penitus defixus hærebat, nec à Chirurgo præ dolore ulla extrahendus arte. Itaq; Chirurgus, eo intus relicto, ad ſanandum ulcus & cicatricem obducendam animum manumq; convertit. Temporis proceſſu (*vide naturæ miraculum verno tempore*) è thorace ſpi-

nus ſen-

nus ſenſim & ſine ſenſu prodire cœpit, augeſcere, virere & ramulos frondesq; emittere, addunt qvidam flores & fructus, (*veris & autumni temporibus*) non ſecus ac ſi in pingvi & fœcundo ſolo inſitus eſſet. (*Ut æſtivo tempore qvotannis forſice luxuriantem propaginem tondere neceſſe fuerit.*) Tentatum fuit ſæpè ſæpius, qva ſcarificationibus, qva inciſionibus, radicem plantæ extirpare (*ſed fruſtra*), è cujus trunco deciſus ramulus apud Illuſtrisſimum aſſervatur, Romam unà cum fidelisſima hiſtoria à *Didaco Jagvez Hiſpano* anno 1637. miſſus. Accidit huic Paſtori, *addit D. Joh. de Gonzalo*, qvod cecidit ab alto hoc tempore, & capite vulneratus â chirurgo malè curatus periit. Ego ſciens mortuum fuiſſe Anatomiam feci, & inveni intus ramum iſtum in muſculis interis (forſan internis, ſupra autem dicebatur ſpina os ventriculi penetraſſe) radices non tantum per coſtas, ſed & per coxam ipſam usq; in femur diffuderat, donec tandem radice muſculis tendonibusq; implicata mortem homini intulerit. (*Ex Leone Allatio c. l. Kircherus.*) Oblati & tales ſurculi fuerunt Peireſcio qvod (*l. 5. vit. Peireſc. p. 465.*) *Gaſſendus* allegat, & contra *Licetum* hiſtoriam iſtam impugnantem (*tr. de Litheoſphor. c. 51.*) urget illuſtris *Velſchius* (*Exerc. de verm. Capill. inf. §. 5. p. 367.*) qvos etiam Eqves Casſianus â Puteo, in qvem forſan digitum intendit P. Servius, ſe vidiſſe Velſchio narravit. In Muſæo laudati Casſiani â Puteo Iconem herbæ, ita vocat, *vidit Th. Bartholin.* (*Cent. 2. hiſt. 20. p. 205.*) Qvi poma ex arbore in homine nata legerit nondum eſt inventus, ut ut tale qvid ex antiqvis fabulis circulorum juvenilium, *Libavius* (*l. 2. Batrach. c. 15. p. 357.*) narret. Ex collo mulieris excreviſſe fruticem *Th. Bartholino* (*c. l. p. 206.*) fuit relatum.

§. 101. In

§. 101.

In & ex animalibus mortuis eorumq; partibus putridis vegetabilia nata paſſim memorantur. Agros pingves cadavera ſepulta reddere *Plutarchus* (*in vita Marii p. m. 58.*) teſtatur. Novi patres familias cadavera felium, canum &c. ad radices arborum ſpe inſecuturæ fertilitatis ſepelire. Ebulum poſt fuſum Danorum exercitum ad pagum Staugterford ex cæſorum ſangvine ſuccreviſſe rebantur Angli, qvibus ideò adhuc Danes-blood, ſangvis Danicus, vocatur. (*Nobiliſſ. Chriſt. Becmann. de prodig. ſangv. c. 1. th. 5. p. 9. Add. Voſſ. l. 5. d. Idol. c. 3. p. 11.*) Gramen è ſangvine humano fuſo provenire dicitur, ideoq; Marti ſacrum. (*Natal. Com. l. 2. Mythol. c. 7. p. 138.*) Certè annotant non nulli, *ex Egeſippo Apoſtolorum Diſcipulo*, memorat *Gaſpar à Rejes* (*Campo Elyſ. jucund. qvæſt. 86. n. 24. p. 1120.*) natam ex hujus (Chriſti in monte Oliveti) divini ſangvinis aſpergine arborem, qvæ in foliis hanc præferebat ſcripturam: ô mors qvàm amara eſt memoria tua. Sed hæc piè magis qvàm verè. Carnem putrefactam ac in terram mutatam transmutari in carduum & flores *Beccherus* (*Supplem. 2. th. 1. n. 9. p. 6.*) autor eſt. Ex oſſibus herbæ. Ita *Lucanus* (*l. 7. Pharſal. v. 864.*)

Nullusq; auderet pecori permittere paſtor
Vellere ſurgentem de noſtris oſſibus herbam.

§. 102.

De plantis & arboribus in Sepulchris ſingularia circumferuntur. Ex ſemine aut radicibus in Sepulchris plantatis herbas & arbores creſcere miraculo caret. Aliqvando tamen & inter mira reputatum. In autumno Frater B. Wiboradæ viridis Fœniculi germen circa tumulum ejus fixit, qvod divina diſpenſpenſatione radicem terra figens, atq; per totum brumale tempus in ſui viriditate ad ultimum adeò crevit, qvod comis in

modum coronæ nexis totum ſepulchrum protexit. De cujus germinis viriditate non ſolum multi ſunt mirati, verum etiam pleriq; langventes ſanitati reſtituti per acceptionem temporatæ ex eo antidoti. Iſta *Hepidanus Cœnobita S. Galli* (*de vita S. Wiborada c. 3. ap. Goldaſt. T. 1. Rer. Alemann. p. 2. p. 347.*) Miraculo propius accedit, modò fabula non ſit, Cupreſſum, neq; ſatam, neq; plantatam, ſponte ex Athanaſii inſignis cujusdam Cœnobitæ ſepulti pectore, è terra emerſiſſe: qvod *è Theoſteritto & aliis* recenſuit *Majolus* (*T. 1. Dier. Canic. Colloq. 21. p. 676.*) Ex ore Adami ſepulti tres arbores ortæ, è qvibus crux Chriſti fabrefacta, ex aliis *Henr. Kornmann.* (*p. 4. de mirac. mort. c. 143.*), ſed, modo fide non laboret, qvod vereor, hæc relatio, miraculo res non affinis, cum filius Adami tria grana de pomo ab Angelo acceperit, qvæ Angeli juſſu Adami ſepeliendi ori impoſuit: aut, prout etiam *ex aliis* narrat *Andr. Tenzelius* (*p. 2. Med. Diaſtat. p. 185.*) ramuſculum ab Angelo acceptum ſepulchro parentis implantavit. De Sibylla (*l. 1. Stromat. p. 223.*) *Clemens Alexandrinus* ſeqventia. *Serapion* dicit *in verſibus*, ne mortuam qvidem â divinandi arte ceſſaſſe Sibyllam: & id qvidem, qvod ex ea in aërem receſſit poſt obitum, id eſſe qvod in ſortibus divinat & auguriis: ex eo autem, qvod in terram mutatum eſt, corpore exorta, ut conſentaneum eſt, herba, qvæcunq; eam beſtiæ comediſſent, *ſcribit*, perfectam futuri cognitionem per exta hominibus ſignificaſſe. Ejus autem animam exiſtimat eſſe faciem, qvæ apparet in Luna. Arborem Illum futurum poſt mortem cenſebat *Plato*, qvod *ex Olympiodoro* memorat *Kircher.* (*part. 1. Sphyng. myſtagog. c. 1. p. 73.*) qvi, nutritioni deditus, diu noctuq; torpebit.

§. 103.

Nec ut matrem faſtidiunt vegetantia cranium & oſſa humana. Uſnea ſeu muſcus in craniis humanis id oppidò declarat,

clarat, in illis qvi *μετέωροι* facti, in medicina Paracelſica, comprimis ab Opliatricis expetitus, qvi an detur *Hildanus* (*Cent. Epiſt. 27. p. 975.*) eqvidem dubitat, cui tamen *Daniel Beckerus* (*l. 2. Med. Microcoſm. c. 5. p. 237.*) ſatisfecit. Ipſe olim particulam oſſis bregmatis, humani muſco obductam in ruinis Chemnicenſibus me inveniſſe recordor. Vocatur ideò flos cranii. Elegantisſimam Verbenam cum flore in objecta calvaria natam notat *Alex. de Inſula* (*Breviar. rer. memor. n. 66. à noſtro Paulinio M. C. Dec. 2. a. 4. addito. p. 216.*) Rutam murariam & muſcum cruſtaceum in cranio humano vidit & depinxit *Nobiliſſ. D. Martin. Bernhard à Berniz* (*Miſcell. Cur. Dec. 1. Ann. 2. obſ. 53. p. 97.*) Spectat huc Lithodendron ſeu corallium ex cranio humano propullulans, qvod in Muſeo Piſano oculis uſurpavit *Th. Bartholin.* (*Cent. 2. hiſt. 20. p. 206.*) & æri inciſum communicat *Kircherus* (*l. 9. M. S. ſ. 3. c. 6. p. 179.*) Per ſpinam dorſi ramulum productum deprehendit *laudatus Th. Bartholin.* (*Vol. I. Act. Hafn. obſ. 9. p. 11.*) Mirum prætereà herbas qvasdam cadaveribus ſepeliendis additas poſt longum temporis decurſum vires adhuc fuiſſe repertas. De vinca per vinca *alibi* (*l. 3. de mirac. mort. Tit. 2. §. 57. & 58.*) Notabile eſt qvod de Rore marino *Joh. Marcus Marci* (*Phil. vet. reſtit. p. 5. ſubſect. 3. p. 489.*) notavit: Me præſente Pragæ anno 1618. in qvodam hortulo, ubi aliqvando ſtetit templum D. Petro dicatum, cadaver effoſſum fuit cum ſerto & paſtillo è Rore marino adeò recenti & vegeto, ut heſternum mihi aliisq; qvi aderant, videretur, & tamen conſtabat ultra centum annos eo loco depoſitum, qvando qvidem hoſpita in ea domo nota ſeptuagenaria erat major, unde manifeſtum illum virorem ſuiq; conſervationem mumiæ humanæ, qva fovebatur, debere. Adde obſervationem gemellam *Poliſii* (*M. C. D. 2. A. 4. obſ. 43. p. 103.*) & *Ledelii* (*ibid. A. 6. 3. obſ. 6. p. 151*)

§. 104.

Si animalium ſpontè naſcentium numerum inire tentes,

eorumq; recenſioni indulgere Siſypheum ſaxum te volvere certò credas. Paucis, talia in igne provenire alibi *(l. 1. mirac. mort. Tit. 7. §. 25. p. 75.)* teſtes adduxi. In aëre qvot inſectorum agmina, qvæ ventorum motu huc illuc deferuntur? qvales Cicadæ illæ Ægyptiacæ, coturnices etiam Iſraëlitis carnem deſiderantibus, *(Numer. c. 40. v. 18. ſq.)* vento concitato, datæ. Qvoties ranis pluit. Pluiſſe certum eſt ex oculatis teſtibus *Æliano (l. 2. hiſt. animal. c. 56. & l. 6. c. 4.) Scaligero (Exerc. 191. ſ. 2. p. 624. Exerc. 323. p. 1027.) Fallopio (l. de Foſſil. c. 9.) Joh. Mariæ Gignochio aut Jenochio Doctori Patavino (apud Libert. Fromond. l. 5. Meteor. c. 6. art. 7. p. 403.) Marco Marci (p. 3. Phil. reſtitut. ſubſ. 4. p. 292.) Schotto (l. 7. Phyſ. curioſ. c. 18. §. 1. p. 737.)* In Amelandia, qvæ ranam nullam patitur, ranis pluiſſe *ex Præceptore ſuo Menelao Vinſemio* accepit *Jonſton. (Thaumatogr. Nat. Cl. 3. c. 8. p. 115.)* Eos, qvos Autoriatos vocant, ranæ è nubibus, pro guttis aqvæ in terram delapſæ, adegerunt, ut, relicta patria, ad eam, in qva nunc qvoq; reſident, oram confugerint, *ſecundum Diodor. Sicul. (l. 4. Bibliothec. p. 326.)* Ranis & ſimul Bufonibus ad Colmariã Alſatiæ anno 1549. *(Edo Neuhuſ. l. 2. ſacr. Fatid. c. 8. p. 152.)* Non veras has eſſe ranas putat *Hieron. Fabric. ab Aqvapendente (tr. de Format. ovi & pulli p. 2. c. 3. p. 49.)* qvamvis toto corpore eas æmulentur, colore verò roſpos, ut inde Roſpettarum nomen ſortiantur. Pluit anno 987. in Saxonia, cum â Saxonibus duo Vandalorum exercitus funderentur piſcibus. *(Edo Neuhuſ. c. l. p. 150.)* Ego, *ſcribit Albert. Kyper (l. 11. Inſt. Phyſ. c. 2. n. 2. §. 3. p. 186.)* certò compertum habeo piſcibus aliqvando copioſè pluiſſe non procul â Regio monte in Pruſsia, ita, ut viæ qvoq; & prata piſcibus fuerint repleta, & ipſe ex piſcibus illis comedi unà cum parentibus meis. Contigit id & olim *teſte apud Athenæum (l. 8. Deipnoſ.) Phania,* qvi in Cherſoneſo triduanum piſcium imbrem notavit. *Add. Joh. Bapt. Egnat. (l. 5. c. 6.)* Deſcenderunt & cum pluvia mures, idq; *teſte Olao Magno (l. 18. Epit. hiſtor. de gent. Septentr. p. m. 447.)*

447.) *Scaligero* (*Exerc. 192. ſ. 2. p. 626.*) in Norwegia Helſingia atq; viciniis provinciis Diœceſis Upſalenſis Lemmar vel Lemmo, *Olao* Lemner, *Scaligero*, *Zieglero* Leem, Lemmender *Th. Bartholino* (*Cent. 2. hiſt. 73. p. 301.*). Vulgò, ut eſt *apud Ol. Wormium* (*l. 3. Muſ. c. 23. p. 322.*), Leming, Leminger, Lemende, & Lömmer nuncupantur, qvorũ deſcriptionem & iconem dat (*c. l.*) *Wormius*, anatomen & ſceleton *Th. Bartholin.* Vermium & ſerpentum etiam memorantur pluviæ, qvæ in Arabiæ & Lybiæ locis ſubinde contingunt. (*Kircher. l. 4. M. S. ſ. 2. c. 3. p. 230.*) Pluviæ varia inſectorum ſeminia, qvæ Meelthau ruricolis dicuntur, juncta nemo neſcit. Erucarum pluvias in Velauniis viderunt, qvod *ex Diodoro Siculo* (*ad Plin. l. 2. nat. hiſt. c. 56. p. 101.*) notavit *Jac. Dalechampius.* Ita cum nive inſecta prodigioſa in Hungaria d. 20. Novembr. 1672. deciderunt, qvæ deſcripta *apud Clar. Dan. Guilielm. Moller.* (*Meditat. de his p. 21. ſq.*) leges, & depicta cernes. In Auſtria anno 1596. *narrante* id. (*c. l. p. 159.*) *Neuhuſio* anatum anſerumq; multa millia in ruſticorum alimentum cum imbre adveniſſe adeo mirum non eſt, ac illud, qvando nonnulli ex *Avicenna*, inter qvos *Albertus Magnus* numeratur, referunt vitulum aliqvando cœlo delapſum. (*P. Bonus Lombardus Margarit. pretioſ. c. 15. p. 189. Sennert. l. 4. Epit. nat. Scient. c. 6. p. 334.*) Partes animalium pluviæ & nivi aliqvando conjunctæ v. g. ſangvis, de qvo *alibi* (*l. 2. de mirac. mort. Tit. 5. §. 1. ſq.*) caro, qvæ non putruit. (*Livius l. 3. c. 10. p. 49.*) *Plin. l. 2. c. 56.*) Ita cum nive decidiſſe carnis particulas, qvæ neq; colorẽ mutarunt neq; putruerunt teſtatur (*l. 10. hiſt. Rom.*) *Dionyſ. Halicarnaſſeus.* In Liguria carnes, Caliſto III. Papa ſedente, depluiſſe *Bonfinius* (*Decad. 3. l. 8.*) tradidit.

§. 105.

Juvabit his jungere ex aliis meteoris prognata animalcula. De vermibus nivis egregia *apud Zacut.* (*l. 1. Hiſt. Med. princ. hiſt. 66. dub. 42. p. 119.*) & *Th. Bartholinum* (*de uſu Nivis medico c. 9. p. 59. ſq.*) invenies.

Tineas vocabat *Cardanus* (*l.7. de Var. rer. c.28. p.299.*) Vermes ſpontaneos *Helmont.* (*tr. Natura contrar. neſcia n.37. p.139.*) & hirtos rubicundosq; cerni *Joh. Jacob. Wagner.* (*Hiſt. nat. Helvet. ſ 4. artic.6. p.237.*) annotat. Apud *Æſopum Fabulatorem* muliercula, adulterium tectura, è nive puellum natum marito, unde eſſet qværenti, prædicabat, (*Scal. Exerc. 193. p.627.*) E ſaliva cuculi vermes & araneæ *Schwenckfeld.* (*Aviar. Sileſ. p.251.*) E jaculo aſtrali piſces. Audiamus *Paracelſum* (*tr.2. de peſtil. c.1. p.348*): Merkket ein übernatürlich gewächſ iſt der Fiſch, ſo mann in Seeſtädten Flundern nennet, und wächſet von Sternen-Geſchoſs, und die excrementa der Sternen fallen auff das Waſſer, und iſt ein lauter Sulphur, darumb ſchwimmet es auff dem Waſſer, durch die digeſtion temporis & ſolis wird ein Fiſch daraus, das iſt ein Lorint, Irrgang des Geſtirns materialiter. De Rore ſeqventia *Georg. Entius* (*Demonſtr. circul. ſangv. Digreſſ. 6. p.164.*) Ros, ne qvid amplius dicam, eſt anima mundi *Platonis.* Qvapropter temere (*l. de fœt. form. c.6.*) *à Galeno* dictum: Ad impietatem accedere, ſi qvis velit animam illam creare culices, phalangia & id genus alia. Hic ros, ſuper arborum frondes incidens, varia inſectorum genera producit. *Hæc Entius.* De vermibus ex rore putrefacto experimenta communicat *Th. Henshaw* (*Act. Philoſ. Anglic. 1665. M. Majo n.1. p.25.*). Inter piſces ſpontaneos qvibusdã Angvilla. Natales ſuos debere fertur rori majali, de qvo Andr. Milius (*de orig. animal. & migrat. pop. p.10.*) & *Morhoff* (*de transmut. Metall. p.38.*) E rore & melle *Helmont.* (*Scholar. humor. paſſ. decept. c.1. n.65. p.797. & tr. poteſt. med. n.37. p.384.*) E rore & terræ ceſpite *Milius* (*c.l.*) qvod experimentum agricolas in Belgio exercere *Morhof* (*c.l.*) comperit.

§. 106.

Hæc de aëre & meteoris, qvod ſi ſpontaneas in aqvis productiones recenſere aggrederer, oceanum ingrederer & abyſſum, è qvo ne qvidem Delius urinator emergeret. Tangam ſaltem

tem qvædam, qvæ modò ſuccurrunt. Puriſſima aqva fontis fracido vaſis fermento muceſcit, vermes concipit, cyniphes parit, imò pelle tegitur. (*Helmont. tr. imago ferm. impr. maſſam ſemine n.31.p.94.*) Ex aqvæ marinæ ſpuma Aphiæ minutisſimi piſces, vulgò Spierinck, apud Batavos copioſè generantur, ubi poſt diuturnas ſiccitates copioſi imbres ingruunt, dictitat *Levinus Lemmius* (*l. 2. de Occult. Nat. mirac. c. 40. p. 236.*) Crederet qvis piſces ex aqva ſola generari, cum ſint aqva variè coagulata (*Beck. Experim. circ. rer. nat. princ. p. 22.*), & deſtillati nil præter phlegma ſuggerant, qvod exemplo angvillæ demonſtrat *Boyle* (*p. 2. Chym. Scept. p. 64.*) Eſſe ex piſcium genere, qvi nec ovum nec ſemen ullum prolificum habent teſtis eſt *Ariſtoteles* (*l. 4. de gen. an. c. 11. p. 921.*) & in his epitrageas, angvillas, carinos & balagros numerat. Spumam maris illicò in pulices transiiſſe ad littus maris deambulans vidit alius. Qvid ſi excrementa piſcium aqvæ miſceantur, imprimis gobionis, qvadripennia inſecta, qvas perlas vocant, oriri credidit *Kircher.* (*l. 12. M. S. ſ. 2. c. 3. p. 382.*)

§. 107.

E terra ſpontanea generatione varia animata ortus ſuos petere nulli ignotum eſt. Videmus, ratiocinatur *Beccher.* (*Suppleм. 1. c. 4. p. 63.*), terram arefactam, omnisq; ſeminis inexpertem per aliqvod tempus aëri expoſitam variis vegetabilium animaliumq; ſeminibus impraegnari, fertilemq; reddi, qvod ſæpius in ſolo rore majali probavi, unde terram & inde varia animalia ac vegetabilia produxi. Ne in immenſum increſcat Diſſertatio â vermium è terra anomalo ortu conſulto abſtineo, ad animalia, perfectiora qvæ judicantur, paucis tranſiturus. Angvillas è limo procreari *Ariſtoteli* placuit (*l. 6. hiſt. anim. c. 14. p. 974. & c. 16. p. 975.*) qvod in nonnullis feculentis ſtagnis aqva omni exhauſta & limo detracto denuò generentur, ubi accesſit aqva pluvia. Aſſurgunt *Ariſtoteli Mizald.* (*cent. 7. memor. n. 77. p. 157*) *Johann. Bodinus* (*l. 3.*

Theatr.

Theatr. Nat. p. 402.) & comprimis *Schottus* (*l. 10. Phyſ. curioſ. c. 5. §. 4. p. 1060.*) liberrime philoſophaturus concludens: Ego malo *Ariſtoteli* adhærere donec aliqvid certius affulgeat. Fuit enim *Ariſtoteles*, uti omnibus conſtat, curioſisſimus, ſi alius, animalium & naturæ ſcrutator, & cum perſpectam haberet aliorum de angvillarum ortu ſententiam, ſuæ tamen mordicus adhæret, & variis in locis inculcat, ut vidimus. Ex limo itaq; aliave putreſcente materia, non ex coitu, oriuntur angvillæ. Ex ſemine aqvæ, qvod in lutoſis aqvis in filamenta extenditur, qvæ tandem animantur easdem oriri voluit *P. I. Faber* (*l. 4. Panchym. ſ. 5. c. 14. p. 500.*) Alium modum ab amicis duobus ſub Saturni & Antimonii nomine charis acceptum vulgavit *Tackius* (*Phaſid. Phil. 3. p. 40.*) Accipe, *inqvit*, duas aut tres angvillas, qvocunq; volueris tempore coqve, eas in aheno aqva pleno, donec in pultem coctæ fuerint: hanc pultem projice in locum ſeu lacum uliginoſum & humidum, & intra octo dies videbis multitudinem angvillarum indies qvantitate creſcentium. Idem *Beckius*: (*Experim. circ. rer. nat. princ. p. 243.*) Ex pelle, qvam qvotannis exuunt, putrefacta, vel ad pellis ad ſaxa detritæ ramentis, aut ſi pellis minutim conciſa limoſo ſtagno injiciatur *Kircher.* (*l. 9. M. S. ſ. 1. c. 6. Disqviſit. 3. p. 140.*) Dixerit forte qvis *cum Matron. Parodo*, concludit *Noſter Paulini* (*de Angvill. ſ. 1. c. 2. §. 7. p. 56.*) Jovis eſſe filias, ut fungos & tubera Deorum natos. E limo & arena etiam aqvæ piſciculi *Ariſtoteli* (*l. 6. hiſt. anim. c. 15. p. 974.*) & aliqvando mugiles. (*l. 5. c. 11. p. 931. l. 2. de gen. anim. c. 5. p. 1259.*)

§. 108.

Ad eundem modum ranas ex putri terræ pulvere & imbre naſci compertum fuiſſe annotarunt. De his *Plinius* (*l. 9. c. 51.*) Mirum ſemeſtri vita reſolvuntur in limum nullo cernente, & rurſus vernis aqvis renaſcuntur, qvæ fuere natæ, perinde occulta

ratio-

ratione, cum omnibus annis id eveniat. Non abſentit huic (*c. l. & l. 12. ſ. 1. c. 9. p. 365. ſ. 2. c. 8. p. 391.*) *Kircherus*, qvi ejusmodi ranas temporarias vocat. Idem de Rubetis & Bufonibus Alii, inter qvos (*l. 7. Phyſ. cur. c. 18. §. 1. p. 738.*) *Caſp. Schottus*.

§. 109.

Mures ex limo generari annotatum invenio. Nilo deturgente, *teſte Plinio* (*l. 9. c. 58.*) *& Diod. Siculo*, (*l. 1. c. 2.*) muſculi reperiuntur inchoato opere genitalis aqvæ terræq; jam parte corporis vivente, novisſima effigie etiamnum terrena. E putri materia ſine agentibus aſtris, & ex roris humiditate anno 1639. (*P. I. Faber l. 5. Panchym. ſ. 1. c. 12. p. 604.*) mures nati. Ex navium ſentina in navibus, (*Scalig. Ex. 6. ſ. 2. p. 25. Anton. Deuſing. vindic. fœt. extra uterum genit. ſ. 1. p. 12.*) qvorſum & referas induſium muliebre *Helmontii* ſordidum (*tr. imago ferm. impr. maſſ. ſem. n. 9. p. 92. & Schol. Humoriſt. paſſ. decept. n. 65. p. 797.*). Et hi in longinqvis navigationibus in navibus ſuam generationem in nepotes & ultra extendunt. (*Steph. Rod. Caſtr. l. 1. de Met. Microc. c. 15. p. 34.*)

§. 110.

Cur vero per exempla animalium ortum è terra æqvivocum demonſtrare ſatago? Siqvidem, qvod affirmat *Abrah. Milius*, (*c. l. p. 8.*) pleriq; omnes ſapientes Ethnici, præſertim antiqvi *Ægyptii*, arbitrati ſunt hominem & reliqva animantia eandem habere originem à terra, humore & ſole: idq; hoc modo, qvem *Diodorus Siculus* (*l. 1. c. 1.*) paulo fuſius deſcribit. Qvod nimirũ terræ concreti ſint multi humores: in qvib9 contectæ ſint putredines qvædã tenui pellicula, qvæ virtute Solis ad ſummũ producta, adveniente veluti partus tempore, exutis confractisq; pelliculis educunt omnis generis animantiũ formas. Imaginari hic licet, *ſubjicit Milius*, ita ſcilicet tauros, & oves, tigres, leones, elephantes excluſos ex his pelliculis, uti alaudæ, paſſeres columbæ,

anates, & omne gallinaceum genus prodeunt ex ovis, perrupto pertuſoq; roſtris ſuis putamine. *Add. Ovid.* (*l. 1. Metamorph. v. 416.*)

§. 111.

Nec ab animalibus brutis hominis ortus videbatur diſtinctus antiqvis & canis illis mundi Sapientibus, philoſophis, *Gymnoſophiſtis*; *Brachmanis* & *Druidibus*. Eandem namq;, ut iterum (*c. l. p. 14.*) *Milius*, illi asſignant è terra, aqva, putredine, per cœli aſtrorumq; calorem concretionem coagulationemq;. Id opinionis illis attribuit *doctus ille Siculus* (*c. l.*). Scilicet ut mures in Thebaide Ægypti, ſic homines primos è limo Nili prorepiſſe primò capite, brachiis, pectore & umbilico tenus, poſteriore parte adhuc informi, nec inchoata, qvæ poſtea prodierit. Aliter tamen rem paulo ante enunciarat (*p. 11.*) *Milius*: Ut ex latente humore, *diſſerebat*, pellicula obducta vi caloris velut putamine concluſi fuiq; ſimus: in primo noſtro parente, eoq; prorepto, prodierimus: indeq; â primis parentibus, qvotqvot ſecuti ſumus homines, commixtione genitorum noſtrorum facti ſimus, qvod ſumus. Neq; mirum igitur, *concludit*, ſi non ſanè pro fabula habeatur; qvod Leda complexu magni illius Divûm ac hominum regis Jovis, in cygnum transformati duo ova peperit, atq; ex eorum altero Pollucem & Helenam, ex altero Caſtorem & Clytemneſtram tanqvam ex cygni ovis excluſos eſſe. *conf. Jaſon. à Pratis* (*l. 1. de uteris c. 1. p. 2.*)

§. 112.

Dogma hoc qvaſi per manus traditum ad Græcos transiit. Animalia de limo nata credidit *Archelaus*, (*apud Diog. Laert. l. 2. p. m. 99.*) & animalia gigni ex terræ calore, qvæ limum lacti ſimillimum ad eſcam eliqvaverit: Sic & homines natos. Et *Zeno Eleates* (*apud Eund. l. 9. p. 647.*) generationem hominum è terra profeſſus eſt. Merentur huc acciri *Cenſorini*, (*de die natali*) verba,

verba, qvæ *Lipſius* (*l. 3. Phyſiol. Stoic. Diſſ. 4. p. 972.*) recenſuit, è qvibus ſeptem Philoſophorum ſententias, qvibus qvinq; priores adduxiſſe ſufficiet, validè aut leviter diſſonas eruit. Prima *Poëtarum* eſt, qvi è luto aut lapidibus homines primos formant, idq; humana opera. Fabellæ notæ: De Vulcano ſupra. (*Diſſ. h. §. 22. p. 70.*) De Promethei plaſmate *Pauſanias* (*in Phocaic.*) Altera *Anaximandri*, qvi ex aqva & limo format, hactenus haud peſſimè: ſed qvod in piſces primò, & è piſcibus in homines, & monſtrum aut delirium ſapit. Et verò *apud Plutarchum* (*l. 4. de plac. Phil. c. 10. fi m. 171. b.*) alia eſt *Anaximandri* ſententia, tradentis in humore enata eſſe animalia aculeatis ipſa obducta corticibus (φλοιοῖς περιεχόμενα ἀκανθώδεσι): iisq; ruptis, cum maturum eſſet, prodiiſſe. Tertia *Empedoclis*, qvi è terra, ſed, ut *Cenſorinus* ait, membratim, nec ſtatim totos. *Varronis fragmentum* (*apud Nonium v. Blitum*) huc facit: *Empedocles ex terra homines natos facit, ut blitum.* Prolixius hoc *Empedoclis* ſecretum conſignavit (*c. l.*) *Plutarchus*, à de modò (*§. 110. p. 137.*) recenſita. Qvarta ſententia *Democriti* ex aqva & limo, qvæ refert illam *Anaximandri*, ſed à fronte. *Lactantius* (*l. 7. c. 2.*) ſuper ea: *Democritus ait, homines vermiculorum modo effuſos de terra, nullo auctore, nullaq; ratione.* Qvinta *Epicuri*, qvi ex limo item ſeu terra. *Lucretius* (*l. 2. de nat. rer. v. 1152.*)

Haud, ut opinor, enim mortalia ſecla ſupernè,
Aurea de cœlo demiſit funis in arva.
Sed genuit tellus eadem, qvæ nunc alit ex ſe.

Sed qvomodo? Ex uteris qvibusdam terræ affixis, ait *Cenſorinus*. Qvod ita etiam *Lucret.* (*l. 5. v. 826.*)

Creſcebant uteri terræ radicibus apti,

Qvos ubi tempore maturo patefecerat ætas
Infantum, ſugens humorem aurasq́; petiſſens,
Convertebat ibi natura foramina terræ,
Et ſuccum venis cogebat fundere apertis
Conſimilem lactis.

Hæc qvidem Lipſius. Et primos maſculos qvidam in meridie è terra prognatos prodiderunt; fœminas in ſeptentrione. *Parmenides* contra *ſecundum Autorem hiſtoriæ Philoſophiæ à Galeno aſcriptæ (p. 551.)* ob denſitatem in ſeptentrione mares, in meridie ob raritatem fœminas.

§. 113.

Græci ſibi nomen indigenarum arrogabant; & inter hos comprimis Athenienſes, qvi, *ut Juſtinus (l. 2. c. 6. p. m. 72.)* non ut cœteræ gentes à ſordidis initiis ad ſumma crevere. Soli enim præterqvam incremento etiam origine gloriantur. Qvippe non advenæ, neq; paſſim collecta populi colluvies originem urbi dedit: ſed eodem innati ſolo, qvod incolunt; & qvæ illis ſedes, eadem origo eſt. Et *Cicero (pro L. Flacco)* Athenarum urbs vetuſtate ea eſt, ut ipſa ex ſeſe cives ſuos genuiſſe dicatur. Et ea qvidem re nobilitatem metiebantur ſuam, &, cùm cicadæ ortum ſuum terræ debere dicantur, nobiles cicadas aureas capillis implexas gerebant, & τεττιγοφόρων, ſive cicadigerorum *ap. Thucididem (l. 1. de Bell. Peloponeſiac. p. m. 9.)* merebantur titulum. *Conſ. Pier. (l. 26. Hierogl. c. 45. p. 323.) & doctiſſ. Joh. Rhod. (Diſſ. d. Acia p. 61.).* De Niſo (*in Ciri v. 126.*) *Maro*

Omnis erat reſidebat cura capillo:
Aurea ſolenni comtum qvem fibula ritu
Cecropio tereti nectebat dente cicada.

Videa-

Videatur (*in b. l. p. 56.*) *Joſeph. Scaliger*, cui ſi placet, adde *Jan. Parrhaſ.* (*Syllog. 4. var. annot. p. 835.*)

§. 114.

Gigantes præterea terræ filios proclamavit antiqvitas. Cecinit *Ovidius* (*l. 5. Faſtor. v. 35.*)

Terra feros partus, immania monſtra, Gigantes
Edidit.

Horatio (*l. 3. Odar. 4.*) terræ partus, & Terrigenæ (*l. 3. Pharſ. v. 316.*) *Lucano*. Et hoc ipſum Gigantum nomen præ ſe fert, dicunturq; *Sophocli* (*in Trachin. v. 1066.*)

Γηγενὴς ςρατὸς γιγάντων.

Terra edita moles Gigantum.

Dicuntur autem *Nonno* (*l. 4. Dionyſiac. v. 427. p. 137.*) è terra propullulaſſe, qvidam qvoad caput, qvidam humeros, qvidam ſemiperfecti, qvod (*ſecundum* §. *112. p. 139.*) etiam in generatione animalium contingere *Empedocles* docuerat. Dedit Fabulæ forſan originem creatio è terra Adami, qvi inde γηϊνος & αὐτόχθων, & Geinus *Sanchoniatoni* (*apud Bochard. l. 2. Canaan. c. 2. p. 748.*) qvem etiam Gigantum catalogo è Rabbinis qvidam inſeruerunt. (*Vid. Summè Rev. & Excell. Dn. D. Joh. Bened. Carpzov. Exerc. de Gigant. c. 3. p. 9.*) Rationes dant varias, qvas brevitatis ſtudio recitare non libet. Qvid ſi monſtroſam ſtaturam, & inde emergentem deformitatem hoc nomine exprimere conſtituiſſent? Qvid ſi obſcurum ortum? qvo ſenſu Poëtæ γηγενεῖς, *ſecundum Johann. Ruell* (*l. 3. de nat. Stirp. c. 114. p. 619.*) cognominant eos, qvorum pater obſcurus, an demum qvod ignari & imprudentes, qvod *annotante Philoſopho* (*l. 2. Polit. c. 8. p. 414.*) de terra natis dicitur. Draconem aurei velleris cuſtodem è terra genitum *Piſander* narrabat. *Agrœtas* autē (*l. 3. Libyc.*) μῆλα non mala, ſed oves reputans (*vid. Diſſ. 3. artic. 2. §. 42.*), Draconem paſtorem qvendā agreſtem hominem, qvi propter feritatem ſuam Draco ſit nominatus. Hæc *Scholia-*

 ſtes

ſtes Apollonii Rhodii (*l. 4. Argonaut. v. 1396.*) & id nomen convitii loco ponebat (*in Nubib. act. 3. ſc. 1.*) *Ariſtophanes.*

§. 115.

An huc referre debeam Palicos hæreo, de qvibus iſta (*l. 5. Saturnal. c. 19. p. 434.*) *Macrobius, & Servius* (*ad l. 9. Æneid. p. m. 742.*) In Sicilia Symetus fluvius eſt. Juxta hunc Nympha Talia, compreſſu Jovis gravida, metu Junonis optavit, ut ſibi terra dehiſceret. Factum eſt. Sed ubi venit tempus maturitatis infantum, qvos alvo illa geſtaverat, recluſa terra eſt, & duo infantes, de alvo Thaliæ progresſi, emerſerunt; appellatiq; ſunt Palici ἀπὸ τοῦ πάλιν ἵκεσθαι, qvoniam prius in terram merſi, denuò inde reverſi ſunt. Tages qvidam, *referente Cicerone* (*l. 2. d. Divinat. f. m. 118. b.*), dicitur in agro Tarqvinienſi, cùm terra araretur, & ſulcus altius eſſet impreſſus, extitiſſe repentè, & eum affatus eſſe. Idcircò *Ovidius* (*l. 15. Metamorph. v. 553.*)

Haud aliter ſtupuit, qvam cum Tyrrhenus arator,
Fatalem glebam motis aſpexit in arvis
Spontè ſua primum, multoq; agitante moveri,
Sumere mox hominis, terræq; amittere formam,
Oraq; venturis aperire recentia fatis,
Indigenæ dixere Tagen, qvi primus Hetruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

§. 116.

Qvod adhuc ſine patre & matre è terra putreſcente, aut è putri homo posſit provenire multi è Philoſophis & Medicis non inficiantur. Qvidam credunt lacus eſſe qvosdam & ſylvas è qvibus homines Sylveſtres oriri posſint, inſtar inſectorum, ut de ſeipſis qvidam Indiæ populi aſſeverant, prout narrat *Borell.* (*Cent. 3. obſ. 59. p. 242.*) E terra & putredine ſpontè propullulare poſſe homines *Plato* (*in Menexeno*) & *Ariſt.* (*l. c.*) judicarunt.

Philo-

Philoponus (*3. de generat. anim.*) nominat *Steſichorum* dicentem, poſt diluvium homines fuiſſe ex putri materia renatos. Confirmavit idem *Avicenna* (*l. d. Diluvio*) à cujus partibus ſtant *Albertus Magnus* (*l. 8. Phyſ. & 2. Meteor.*) *P. Pomponatius* (*l. de immortal. anim.*). *P. Mirandulanus* 900. theſibus Romæ publicè diſputandis & hanc inſeruit: poſſibile eſt hominem ex putrefactione oriri. *Andreas* demum *Cæſalpinus* (*l. 5. qvæſt. peripat. qv. 1. f. 107. n.*) qvæcunq́; è ſemine fiunt, eadem fieri poſſe ſine ſemine audacter *dictitat* adeoq́; & ipſius hominis generationem. Et qvamvis in regionibus qvas habitamus nunqvam viſa fuerit animalium, ut hominis qvadrupedumq́;, ſpontina generatio, qvod extra Tropicos calor Solis reqviſitus non perduret usq́; dum perficiantur, intra Tropicos continuo tepore illá ad finẽ perduci perſvaſum habet.

§. 117.

Etiam in & ſub terra carnem generari, caro illa ſubterranea à *Libavio* (*l. 1. Singul. p. 252. ſq.*) deſcripta evincit. Narratum namq́; olim ſibi fide Jenenſium Schrœterorum, *ſcribit*, ad vallum Erfurdicum juxta portam D. Andreæ, occaſione valli in altiorem molem attollendi, carnis crudæ haud exigua fruſta eruta fuiſſe: illamq́; muſculoſam bubulæ ſimillimam, niſi qvod oſſibus careret, *Hübnerus* (*in Epiſtola ad Libavium*) teſtatur. Et talem dari poſſe nec abſurdum videtur *Libavio*, nec ejus ſeqvaci *Jonſtono* (*lib. 4. Thaumat. Nat. c. 32. p. 174.*) Certiſſimum eſt, *ſcribit*, terram, (aqvam addit *Jonſton.*) eſſe materiam animalium qvorundam illorumq́; imperfectorum, qvæ homonyma producuntur generatione. Ex utroq́; igitur commiſto lutum conſtitui poteſt animali inſtructum principio, qvod modo & in animal integrum procedit, modò deficit. Sicut in genere perfectorum informes interdum gignuntur maſſæ, ſuo interdum conſtructæ complemento. Illud prius ſi fuerit, & tamen adminiculis præſentibus ſuo non fruſtratur motu, molam concreti ſangvinis, aut carnis

inſtar

inſtar fieri conſentaneum eſt: Non aliter, ac cum illo materia diſpoſita ad os terminata, in os tranſit, qvod Cornu foſſile nuncupatur. *Add. Thom. Bartholin.* (*l. 3. d. Luc. Anim. c. 7. probl. 1. p. 357.*) Et qvid plura? Chymici ex Satyrio, Symphyto majore, Androſemo herba, pane vinoq; ſuccum planè ſangvineum confici agnoſcunt, qvi digeſtionibus debitis in cruentæ molæ amplius coagulatur ſubſtantiam. Pane frumenti ſubfimo eqvino calido per novem vel decẽ dies poſito id ſe præſtare poſſe gloriabatur *Paracelſus. Vid. Dav. Beckius* (*experim. circa rerum nat. princ. p. 279.*)

§. 118.

An è metallis & mineralibus fermentatis & putreſcentibus generentur animalia nusqvam obſervatum invenio, præterqvam *à Deuſingio* (*de Fœt. Muſſip. ſ. 5. §. 154. p. 50.*), dum ſcribit: Alii metalla ad tantam putredinem fermentare intendunt, ut ex illis tandem pullulent inſecta: qvæ tamen res pro mea incude gravior, & major omninò. Experimenta ſua hic *gloriabundus* recenſet *Franc. Joſephus Burrhus*, qvod (*è Conſilio Ejusdem*) excerptum communicat *Laurent. Stransſius* (*Reſp. de fœt. Muſſip. ad Deuſing. p. 79.*): Qvod mirum eſt, *ſcribit Burrhus*, ipſa qvoq; metalla transmigrant in herbas & animantes, ſi ritè alterentur, aliàs non eſſent medicinæ hominibus propinandæ, ſed tantum ſaxis exhibendæ. Ego, *pergit*, eduxi è plumbo, ut in ſpecie omisſis aliis metallis indicem, per aërem corrupto muſcas plumbei coloris, habentes alas & mucoſitatem ſuam metallicam in ſuo ventre miraculoſisſimam in extirpandis omnibus generibus fiſtularum.

§. 119.

Sal corrumpi & vermes concipere compertum eſt. (*Vid. Iſibordi ab Amelunxen Breviar. rer. memor. c. 1. p. m. 105. & Dec. 1. M. C. Ann. 8. obſ. 52. p. 80.*) Qvid ſit τὸ ἅλας ἄναλον *Marc.* (*c. 9. v. 49.*) Theoſophi diſqvi-

disqvirant. Fortiſſimum ſalis Spiritum, debita operatione tractatum, in ſummam putredinem, ut atramenti inſtar in colore putreſcat, duci poſſe non diffitetur *Beccherus* (*l. 1. Phyſ. ſubt. ſ. 2. c. 2. n. 11. p. 72.*).

§. 120.

Vermes in lapidibus & muris ex lapide ſtructili inveniri, lapides & cementa depaſcentes & erodentes, *Dominus à de via* advertit, eosq; (*literis ad Auzutum Ephem. Erud. T. 2. p. 1. n. 32. p. 371. ſq.*) deſcripſit. Reperiuntur, qvod mireris, in ſaxis bufones, ranæ, piſces. Rana venenata, *notat Georg. Agricola* (*l. de animant. ſubt. p. 490.*) qvam metallici noſtri ex ignis colore, qvi inſidet ei πυῤῥόφρυνον, ſuo tamen vocabulo (eine Feuerkröte) nominant, in ſaxis perpetuò qvaſi condita & ſepulta latet. Altius intra terram gignitur; & reperitur modò in venis, venulis, ſaxorum commiſſuris, cum hæ excavantur, modò in ſaxis ita ſolidis, ut nulla foramina, qvæ videri poſſint appareant, cum cuneis dividuntur. Qvo ſanè modo & Snebergi & Mansfeldi fuit inventa. Ea, ex ſubterraneis cavernis elata in lucem, primò turget & inflatur, mox de vita decedit: talis etiam rana crebrius reperitur in Galliis Toloſæ in ſaxo arenaceo rubro, candidis maculis diſtincto, ex qvo molæ fiunt: qvocircà id genus ſaxa omnia, priusqvam molas ex eis faciant, perfringunt: qvod ni fecerint, ranæ ubi cum mola verſantur concaluerint, inflari ſolent, & disruptis molis frumenta veneno inficere. Adde *Jonſton.* (*l. 4. de qvadrup. ovipar. p. 1. art. 4. c. 1. p. 189.*) *Pareum* (*l. 23. Chirurg. c. 20. p. 570.*) *Helmont. tr. Tumulus peſtis p. 886.*) *Jacob. Gaffarell.* (*p. 2. Curioſ. inaud. c. 5. §. 6. p. 93.*) Idem Antwerpiæ viſum, (*Joh. Gorop. Becan. Niloſcop. l. 3. O. A. p. 239.*) in ſilicibus in carbonariis fodinis Leodicenſibus. (*Delrio l. 2. Disqviſ. mag. qv. 14. p. 378.*) In Benthemicis, (*Edo Neuhuſ. l. 2. ſacr. Fatidic. c. 23. p. 394.*) Adde, qvos præterea *celeberrimus Noſter Arion* (*ſ. 1. Bufon. Curioſ. c. 3. §. 11. p. 33. ſq.*) citat. In alio lapide inventum bufonem catenulam

auream circum collum habentem recenſuit *Guilielm. Neubrigenſis* (*l.1. Hiſt. Angl. c. 28.*) Cenſeo hanc catenulam â Dæmone additam, ſubdit (*c. l. p. 377.*) *Delrio.* De Rana in Lapide detenta, & Ariſtophanicum ſuum κοάξ κρεκερὲξ non ſuſurrante, ſed planè ſtrepente elegantem obſervationem recitat (*l. 1. Gammarol. c. 8. §. 5. p. 168.*) *Noſter Sachſius.*

§. 121.

Serpentem præterea vivũ in vaſto & ſolido marmore Martini V. ſummi Pontificis temporibus inventũ *è Baptiſta Leone* (*c. l.*) *Pareus* retulit, *conf. Joh. Nardium* (*Ann. 1. Noct. Genial. 4. p. 266.*) Piſces foſſiles, qvos non retibus aut cum hamis aliqvem, ſed cum dolabra, lepidè ex *Lucilli* ſententia jocatur *Seneca*, (*l. 3. qvæſt. nat. c. 17.*) piſcatum ire decet, huc non ſpectant, cum locus illis terra naturalis ſit, *Vid. Gothofr. Voigtius* (*Delic. Phyſ. c. 5. ſ. 2. p. 193.*) ſingularemq; piſcium conſtituant ſpeciem. (*Sachſ. l. c. c. 7. §. 11. p. 136.*) Interim & in ſolidis ſaxis piſces aliqvando reperti. Audiamus *Joh. Gorop. Becan.* (*l. c. p. 241.*) in littore Aconitano ſaxa magni ponderis, qvinqvaginta & plurimum etiam librarum, è mari trahuntur, his color & conſtitutio eſt ea, qvæ lapidi Ætiti, rudis nimirum, & non difficilis læſu aut tritu; interior verò cruſta aut tunica colore etiam ſubcœruleo, ne hac qvidem nota ab Aëtite diſcedens. Rumpuntur hæc ſaxa malleis ferreis, magna vi impactis, non qvò intus, ut in Aqvilæ lapide, alius calculus inveniatur; ſed qvo piſciculi delicatisſimi extrahantur ejusdem generis cum ſolenibus, qvas cappas longas Veneti appellant; ſed eò delicatiores, qvod non aqva marina, ſed rore qvodam tenuisſimo, per lapidem imbibito, paſcantur. Hi plures numero, ad viginti, modo plures, modo pauciores, ita ſaxo includuntur, ut ſingulis ſuus ſit nidus ad magnitudinem & figuram piſcis omnibus lineamentis reſpondens. Inter nidos ſaxeo interſtitio relicto ex his veluti è vaginulis rupto lapide eximuntur integri

Sole-

Solenes, ad palatum & lumbos delicatiorum plurimum facturi. In his igitur ſolidisſimis ſaxis, in qvibus nulla aqva, nullus liqvor invenitur, præter eum, qvem piſcis continet, non figura modo Dactyli ſive Solenis, ſed vita etiam & omnis piſciculi laus perficitur & abſolvitur, melior ut multò ſit, qvam ſi in ipſo mari extra lapidem natus fuiſſet. Repetit *è Goropio Euſeb. Nirenberg. (l. 6. hiſt. nat. c. 13.)* Plura collecta *apud immortalem Noſtrum Jaſonem Joh. Laurent. Bauſch. (Sched. de Aëtite c. 8. p. 74.) & laudatum Noſtrum Sachſium (c. l. c. 8. §. 5. p. 147. & Diſſ. de adm. Lap. nat. p. 92.)* leguntur. De Cancris & Sqvillis in lapidibus natis & nutritis *è Theophraſto Ereſio & Libavio idem (Gammarol. l. c. p. 150.).*

§. 122.

Admiratione dignum qvod *è Gvilhelmo Neubrigenſi (l. 1. Hiſt. Anglor. c. 28.) citat (c. l.) Delrio:* Dum in qvadam lapidicina, *memorat,* petra ingens ferramentis finderetur; apparuere duo canes capacem ſui in eadem petra capacitatem replentes, absq; omni ſpiraculo (perceptibili). Videbantur autem eſſe ex eo canum genere, qvos leporarios vocant, ſed vultu truces, odore graves, pilorum expertes. Et unus qvidem eorum, ut dicitur, citò defecit, alterum verò ſtupendæ, ut ajunt, edacitatis Henricus Wintonienſis Epiſcopus diebus plurimis in deliciis habuit.

§. 123.

Prima nobis naſcendi initia etiam lapides dederunt, *ſcribit Th. Bartholin, (Cent. 2. hiſt. anat. 100. p. 353.)* ſi fabuloſo credimus ſeculo, qvi, tanqvam oſſa terræ, â Deucalione poſt tergum jacti, paulatim anima caluerunt. Contulit & huic operi Pyrrha ſuam operam. Nam qvæ Deucalion jecerat ſaxa, in mares, qvæ Pyrrhā in fœminas convertebantur, & hinc Græcis λαὸς populos ſignificare volunt â λᾶας qvod eſt ſaxum, qvod *è Scholiaſte Homer. (ad 1. Iliad. voce λαοὶ) ad Boccat. (l. 4. Geneal. Deor. c. 47. p. 105.)* annotavit *Jacob. Milichius.* Saxeorum iſtorum agricolarum, ut Me-

tello in Qvirinalibus vocantur, hiſtoriam pluribus egregio carmine proſecutus eſt, (*l. 1. Metamorph. v. 391.*) *Ovidius*. Perſuaſum id habebat Penelope *ap. Homer. (19. odyſſ. v. 162.)*, qvæ his ignotum ſibi Ulyſſem alloqvitur:

Ad jam mî effare tuum genus, atq; parentes,
Nam neq; fatidica qvercu ſatus es, neq; ſaxo.
ſcopulis vel robore ſatæ
Gentes,

ap. Papin. Statium (l. 3. Thebaid. v. 560.) legitur. Qvinimò ex ære fecerat *Heſiod. (op. & dies v. 142.)*

ἄλλο γένος μερόπων ἀνθρώπων
Χάλκειον.

§. 124.

Verminationem inter plantarum urbanarum morbos repoſuit *Theophraſtus Ereſius (l. 5. de cauſ. plant. c. 10, p. 219.)* nec agreſtes & ſylveſtres ego excluderem, nec amaras & acres, qvod qvidem *Anton. le Grand (p. 7. Inſtit. Philoſ. artic. 16. n. 7. p. 742.)* fecit, Oleam tamen excepit, *Theophraſti* forſan (*c. l.*) autoritate motus. Sed & abſinthium vermes & muſcas generat, qvod olim *Cardanus (l. 4. de var. rer. c. 29. p. 297.)* obſervavit. *Add. Illuſtr. Noſtri Febrii Hier. pier. (p. 127.)* In plantis qvatuor generari inſecta *Theophraſtus*, (*allegante Voſſio l. 4. idolol. c. 57. p. 1534.*) prodidit: Unum in qvorundam leguminum ac frugum radicibus, qvem communi nomine σκώληκα, ſeu vermem, dixere: alium in cicere, puta κάμπην ſeu erucam: alium in vitibus ἶπα, qvi *Catoni* convulvus; involvulus *Plauto*: deniq; in oleis κάρπην. Sed anguſtioribus his terminis ſe includi non patitur inſectorumè plantis varietas, cum multa viſui obveniant, qvæ ad hæc genera reduci neqveant. Nulla namq; plantæ ſpecies, qvæ non appropriatum ſibi ex mucore vermem generet, qvod Smicroſcopii

arca-

arcanum ultimis hiſce temporibus detexit, ſcribit *Kircherus* (*l. 1. Scrutin. peſt. c. 7. §. 1. p. 66.*) qvod & (*Experim. 8. p. 72.*) repetit, variisq; experimentis probare ſatagit. Adde (*l. 12. M. S. ſ. 2. c. 8. p. 393.*), & (*ſ. 1. c. 9. p. 367.*) teſtatur *celebrem Romanum Botanicum & Phyſiologum Franciſcum Corvinum* in diverſisſimæ ſpeciei herbis ſingulari ſtudio diſcusſis in ſingulis vermem inveniſſe, qvem, intra phialam vitream concluſam, ejusdem herbæ foliis poſtqvam enutriiſſet, tandem dictum vermem aſſumtis alis in alatum inſectum degenerare deprehendit, qvæ qvidem aligera inſecta pro diverſitate herbarum diverſam ſpeciem mentiebantur, tum figuræ, tum colorum varietate, nonnullis ſolis alis muſcarum inſtar, qvibusdam bruchorum inſtar, aliis cruſtacea vagina incluſis, aliqvibus canthariden, chryſocantharos & ſimiles exprimentibus, qvorum omnium figuras & colores, una cum plantis eorum matribus, eleganter & ad vivum expreſſos in domo ſua exhibebat. Adeò vermem in ſua qvemq; planta oriri verum eſt. (*Honorat. Fabri l. 5. de gen. anim. prop. 22. §. 1. p. 190.*)

§. 125.

Fugitivo ſaltem oculo luſtremus inſectorum plantalium, tum ex viridium lentore, tum putreſcentium muco provenientium, centurias, imò chiliadas. Inter herbas cardui fullonii medulla vermes habet *à Dioſcoride* (*l. 3. de re med. c. 13. p. m. 178.*) & *Scalig.* (*Exerc. 59. ſ. 2. p. 254.*) notatos. Xylophyton ex Junci caule & Eqviſeto deſcribit & depingit *Kircherus* (*l. 12. M. S. ſ. 1. c. 9. p. 371.*) Ex ocymo ſcorpiones fieri, aliorum relatu, tradidit *Plinius* (*l. 20. c. 12.*) *Helmont.* (*tr. imago ferment. impr. maſſ. ſem. n. 13. 14. p. 92. tr. poteſtas medicam. n. 37. p. 384.*) *Honorat. Fabri* (*l. 2. de Plant. prop. 184. qv. 22. p. 88.*) Plura experimenta collegit *Fried. Hoffmann.* (*l. 4. Clav. Schrœd. ſ. 1. §. 62. p. 420.*) Extat arguta hiſtoria Genuenſium legati Auguſtiniani Juſtiniani *ap. Camerar.* (*in horto p. 109.*), qvam etiam recitat *Simon Pauli* (*Qva-*

dripart. Botan. cl. 3. p. 412.) Muſcarum è cucurbita mentionem fecit *Kircherus* (*c. l. ſ. 2. c. 7. p. 393.*). Sunt qvi & vermes, in culices demum degenerantes, in peponibus deprehenderunt. *vid. Franciſc. Redi* (*de generat. inſ. p. 192.*) In Rore marino etiam vermes obſervaverat *Exc. Hagedornius Collega & Fautor honorandus* (*Miſc. curioſ. Dec. 1. Ann. 2. obſ. 90. p. 290.*) In Ruta *Cardanus* (*l. 7. de varietat. rer. c. 28. p. 493.*) In Salvia araneas oculo armato animadvertit *Kircherus* (*Scrutin. peſt. ſ. 1. c. 7. §. 1. Exp. 3. p. 71.*) In Junco culices *Honorat. Fabri* (*l. 5. de gen. anim. prop. 76. p. 194.*) In polygoni cocciferi radice reperiuntur baccæ purpureæ, è qvibus vermes. *Elsholz.* (*l. 6. Horticult. c. 4. p. 360.*) idem de polygono Polonico coccifero *Georg. Seger.* (*Miſc: cur. Dec. 1. Ann. 1. obſ. 8. p. 27.*)

§. 126.

In Fruticibus & Arboribus inſectorum non parva copia. Malos maximè vermiculari *Theophraſti* (*l. 5. de cauſ. plant. c. 10. p. 220.*) teſtimonio ſcimus. In conis Cedri vermis oritur fabæ longitudinē. E moro Bombycis natales deduxit *Kircher.* (*l. 12. M. S. ſ. 1. c. 9. p. 370.*), Cimicum ex ulmo *Scaliger.* (*Exerc. 59. ſ. 2. p. 254.*) & fago *Borell.* (*Cent. 3. obſ. 53. p. 235.*) Xylophyti è ramulis Liburni iconem iterum communicat *Kircher.* (*c. l. p. 371.*) Culices è Therebintho progigni tradidit *Scaliger.* (*Exerc. 59. ſ. 2. p. 254.*) è fructu arboris Ciadauci *P. della Valle* (*p. 3. Itiner. Epiſt. 15. p. 143.*) Habet & ficus ſuos vermiculos, & illos qvos enutrit, & qvos alienos recipit: omnes tamen in ceraſtam figurantur, & ſonum edunt parvuli ſtridoris memorat *Theophraſtus*, (*l. 5. de cauſ. Plant. c. 14. p. 222.*) E lignis ξυλοφθόρος, coſſus vulgò dictus, ligniperda *Gazæ*, lignitera vel lignivora *Scaligero.* (*Vid. Ariſt. l. 5. hiſt. anim. c. 32. p. 955.*) Scnipes & teredines in arboribus & lignis in naſci humoris putrefactione, aut concoctione *apud Plutarchum* (*l. 2. Sympoſ. qv. 3. p. 192.*) legitur. Lampyrides ex ſtupa ſeu ſarmentis, *juxta Heſychium*, proveniunt. Ligna carioſa vermibus ſcatere, qvorum alii corniculis inſtructi,

qvidam

qvidam alatum qvid affectant, oculos habent inſtar punctorum nigrorum cum proboſcide, qvod ſmicroſcopii uſu cognovit *Kircherus (Scrutin. de peſte c. l. exper. 4. p. 74.)* Geneſi Lampyridum hoc favere *Idem (l. 12. M. S ſ. 12. c. 5. p. 346.)* cenſuit. De lignis putridis & luteſcentibus, ſi ita loqvi licet, *Kenelmi Digby (tr. 1. de Nat. corp. c. 24. n. 6. p. 279.)* obſervatio locum hic meretur. Diligentem hujusmodi rerum obſervatorem, *inqvit*, pro certo affirmantem audivi, ſe olim in Hispaniâ degentem advertiſſe verno tempore virgam qvandam udo in loco jacentem, qvæ ſucceſſo temporis in putridam lutoſamq; materiam corrumpebatur, in cujus extremo ita putrefacto rudis qvædam capitis figura paulatim delineari cœpit; prope qvod non ita multò poſt exigua crura apparuerunt, qvæ indies in aptiorem & diſtinctiorem habitum â natura fingebatur, deinde per multorum dierum ſpatium (locus enim qvo jacebat idoneus erat, ut progreſſus hic qvotidiè obſervaretur, nec qvisqvam eo accesſit, â qvo turbaretur,) diſcernere poterat, ubi nam in eadem continua qvantitate deſierit eſſe corporis animantis, incipiente rurſus ligno ſeu luto. Cœterum animal iſtud crevit indies in longitudine, pluraq; in eo crura apparuere. Tandem cum jam penè abſolutum ſentiret, paratumq;, ut ſe â reliqva maſſa ſepararet, illic manſit, viditq; inſectum repens in forma volucris, deſerto ligno ſeu luto, cui tantum de longitudine perierat, qvantum in animantis iſtius corpore inſumtum fuit. Fortasſis, *addit*, maxima pars hujusmodi animalculorum hiſce gradibus prodit in lucem. Cœterum poſſe illorum generationem diſtinctè obſervare, prout â viro hoc iſta, qvam modo retuli, obſervata fuit, raro admodum contingit. *Hæc Digby.*

§. 127.

Habent & plantæ, qvod earundem appendicem, aut plantam in planta appelles, qvæ qvibusdam ſpongiæ, ſtrumæ, baccæ, tubercula, calli, verrucæ, pinulæ, gallæ aut poma herbarum & arbo-

arborum audiunt, vermiumq; diverſorum patria exiſtunt. Apud Calabros Conſentiæ in horto qvodam Gallam vidit ſubcinericii coloris â Salvia productam *Scaliger* (*Exerc. 168. p. 555.*) qvæ ita erat Galla, ut vera Galla eſſet, Galla licet Salviæ, non Galla Qvercus. Salviam Halebenſem, ſeu Aſiaticam, etiam hanc vidit & notavit *Auguſtus ille Auguſtanorum Neſtor Georg. Hieron. Velſchius* (*Hecatoſt. 1. obſ. 4. p. 126.*) qvamq; è Creta olim *Alpinus & Veslingius* in hortum Patavinum transtulere. Fuit hæc Salvia illa pomifera, qvam ex Alepo & Aſia cœtera mercatores deſcripſerunt *Scaligero*, (*c. l.*) & in monte Ida offendit *Petr. Bellonius* (*l. 1. obſerv. c. 17. p. 41.*), cujus verba hic merentur inſeri. Inter ſtirpes memoratu dignas creſcit Salvia poma ferens eſui apta, qvæ ruſtici legere ſolent, hisq; ſacccos plenos in proximas urbes venales deferunt. Initio Maji foliis inhærentia inveniuntur Gallarum magnitudine, lanugine obducta, dulcia & grati ſaporis. Ita in vulgatisſima Salvia hortenſi & Hormino ſylveſtri informes qvasdam excreſcentias aliqvando obſervavit (*c. l.*) *Velſchius*, qvæ tamen rotundæ non erant, nec poma dici poterant. In Ledo alpino *Cluſii* altero Gallas invenit (*l. 1. Iſagog. in rem. Herb. c. 7. p. 14.*) *Spigelius*. Tubercula ſive ſtrumulas in Hedera terreſtri, ſeu Gamandrea Germanica cuilibet advertere licet, earumq; mentionem fecit, depictasq; dedit modò *laudatus Velſchius* (*c. l. obſ. 106. p. 127.*) Caulem Hieracii maculati non ſemel tumidum & ſcrophuloſum qvaſi reperi.

§. 128.

In fruticibus & arboribus etiam talismodi vermiculorum conditoria oculis uſurpamus. Cynorrhodus ſpongiam fert, è qva primò parvus & albus vermiculus *ſecundum Verulam.* (*Sylv. Sylv. cent. 6. n. 562. col. 867.*), aut convolvulus *ſecundum Eundem*, (*c. l. n. 729. col. 903.*) & poſt, *Adr. Spigelio* (*l. 1. Iſagog. in rem Herb. c. 7. p. 14.*) & *Joh. Jonſtono* (*l. 1. de Inſ. c. 6. p. 102.*) *dictitante*, cantharides, de qvorum genera-

neratione; egregiâ *citatus D. Hagedorn.* (*l. 2. Cynosbatol. c. 2. artic. 6. n. 1. p. 87. ſq.*) Qvamvis & harum ortum ex erucis fici, piri & pini derivet *Ariſtot.* (*l. 5. hiſt. anim. c. 19. p. 946.*) Inter ea, qvæ qvercus præter glandes promit, *à Theophraſto* (*l. 3. hiſt. plant. c. 8. & 9. p. 36.*) notatæ etiam Gallæ κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictæ, mala autem qvercus *Mizaldo* (*Cent. 8. n. 737. col. 905.*), has aliqvando cunas exiſtere aranei, aliqvando muſcæ, aliqvando vermiculi, formicam alatam addit *Dn. D. Haged.rn.* (*c. l. n. 2. p. 95.*) & è pilulis qvercus pulices emergere *Spigel.* (*c. l. p. 15.*) tradidit.

§. 129.

Baccæ ſeu frůctůs Chermes Ilicis ſůnt. De his (*l. 1. obſ. c. 17. p. 43.*) *P. Bellonius* ſeqventia: Cocci baphicæ cenſus ingens eſt in Creta, cujus collectioni potentiores operam impendere nolunt, ſed paſtoribus & pueris iſtam provinciam relinqvunt. Invenitur menſe Junio in exiguo qvodam frutice ex Ilicis genere, qvæ glandem fert, ſine pediculo inhærens illius fruticis ſtipiti colore ex cinereo albicante. Qvoniam verò iſtius fruticis folia ſpinis horrent, uti Aqvifoliæ, paſtores ſurculum ſiniſtra geſtant, qva ramulos deprimunt & inclinant, dextera autem falcem putatoriam, qva illos demetunt, â qvibus rotundas veſiculas, exigui piſi magnitudine, auferunt, qva parte ligno adhæſerunt apertas & hiantes, puſillis rubris animalculis lende minoribus plenas, qvi per hiatum iſtum effugiunt, & veſiculam inanem relinqvunt. Pueri coccum jam collectam ad Qvæſtorem deferunt, qvi ex dimenſo ab illis redimit. Is animalcula â veſiculis cribro ſegregat, deinde eâ ſummis digitis leniter prehendendo in pilas efformat ovi gallinacei magnitudine. Etenim ſi nimium comprimeret, tota in ſuccum reſolverentur, & color periret. Itaq; duo infectionis genera, unum pulpæ, alterum veſicularum: qvoniam autem pulpa ad inficiendum commodior eſt, ejus pretium qvadruplo majus, qvam veſicularum. *Hæc*

Belloni9. Arabes hoc animalculũ voce Kirmiz vel Kermez exprimũt, de qvo egregia *Sam. Bochardus* (*part. 2. Hierozoic. l. 4. c. 27. col. 624. ſq.*) Minus rectè Chermes â Latino vermis ideò deduxit *Reineſius* (*l. 3. var. Lect. c. 10. p. 498.*), qvod in hunc tandem abeat ſuccus baccarum, aut â Chermi veteri Laviniæ urbe, ubi tali colore fuerunt lanæ & oloſerica ſtamina primum infecta ſecundum *Phil. Bonannum* (*p. 2. de Teſtac. cl. 3. p. 148.*). Impediri horum vermiculorum generationem ſola aceti aſperſione docet *Fried. Hoffmann.* (*c. l. §. 104. p. 439.*) Plura *Nicol. Leonic.* (*l. 1. Hiſt. var. c. 5. p. 13.*) *Scalig. Exerc. 194. ſ. 8. p. 632.*) *Strobelberg.* (*de Cocco Baphica. c. 3. & 8.*) *Urſin.* (*Arboret. Bibl. c. 13. p. 211.*)

§. 130.

Creſcunt & Gallæ ſive veſiculæ cum vermiculis in Therebintho & Vlmo, (*Caſp. Bauhin. l. 11. Pinac. Botan. ſ. 2. p. 400*) in myricis ſeu Tamariſcis, (*Sandys. l. 2. Itin. p. 261.*) in Myrtis, (*P. Bellonius c. l. p. 44*) in Lentiſco, (*Scal. Exerc. 59. ſ. 2. p. 214.*) in Betula, (*Velſch. c. l.*) In Salice, (*Redi. de inſect. gen. p. 292. Verulam. c. l. Borell. Cent. 3. obſ. 50. p. 235*) De Salice pomifera *Zach. Brendelii* *Andr. Libavius* (*l. 2. Singul. p. 311.*), ſed has pilulas incongruè poma dici, rectè monuit *Velſchius Noſter* (*c. l. obſ. 61. p. 80.*) De baccis rubris foliorum & callis culmorum viticis *Redi*, (*c. l. p. 289.*) in Petris Spizbergenſibus viſcum creſcit, cujus veſiculæ flatu plenæ. Ex hujus ſemine cochleas minores marinas, Balænorum cibum, oriri Nautæ *Friderico Martens* (*p. 3. itin. Spizberg. c. 11. p. 49.*) retulerunt. Et hæc de vermibus, qvi Plantis innaſcuntur, qvod ſi his ſitim tuam non reſtingvas, *evolve Joh. Jonſton.* (*l. 3. de inſect. c. 2.*) qvi egit (*Artic. 1. punct. 1. p. 175.*) de vermibus arborariis, (*punct. 2. p. 179.*) De vermibus fruticariis, leguminariis & frumentariis, (*punct. 3. p. 181.*) de herbariis (*punct. 4. p. 182.*) *Sam. Bochard.* (*p. 2. Hieroz. l. 4. c. 27. p. 622.*) & *Stephan. Blankardum* (*Schauplazz der Raupen, Würm und Maden, per totum.*)

§. 131.

Perfectiora etiam animatia è vegetabilibus pronaſci eruditodito-

ditorũ obſervationes propalant. De mure Napelli *Abuali Ibn-Tſina, qvem Avicennam vulgo nominamus,(l.2.Canon.Med.tr.2.p.89.)*: Napelli mus eſt animal in radice Napelli degens, referens ſimilitudinẽ muris. Vulgò Napellus Moyſis explicatur, ſed malè: eſt enim Perſicũ Biſimouſi, *Fortun. Plempius (in Schol.ad h.l.)* commentatur, & murem Napelli ſignificat. In lacum Provinciæ Pecking, referentibus id autoribus Sinicis *apud Fr. Redi (Experim. nat. p. 187.)* ſi incidant folia arborum in circuitu viridantiũ, in totidem hirundines abeunt. Aviculæ ex flore apud Sinenſes, qvod citat *celeberrimus Dn. Eraſmus Franciſci (Dial. menſtr. 12. p. 134.)* In Scotia è flore qvodam anſeres naſci *Gaudentius Merula (l. 3. memor. c. 43.)* narrat. Addit *Mich. Neander (part. 3. orb. terr. ſuccinct. enarr. p. 412.)* nos pennas, avibus illis ereptas, aliqvando vidimus, oſtenſas nobis à Nobili erudito, qvi terras ſeptentrionales plerasq; peregrinando perluſtrarat. E Salvia ſub fimo putrefacta, dum Sol & Luna ſecundam faciem Leonis occupant, avem merulæ ſimilem procreari cujus aduſtæ cinis lampadi inſperſus domum ſerpentibus plenam imponit, Magos Perſarum tradere *ex Hermete Mizaldus (Cent. 4. memorab. aph. 48. p. 80.)* prodidit. Cichorii radicem elapſo ſeptennio in avem transmutari, *Paracelſus (l. de imagin. c. 9. p. 306.)* commemorat. In Hibernia aves pluviatiles naſcuntur è corticibus pinuum, qvibus etiam Pontificii tempore qvadrageſimæ impunè veſcuntur, qvod piſcibus magis, qvàm carnibus, annumerentur, *Mich. Neander (p. 3. orb. terr. ſucc. enarrat p. 406.)* Qvid de anatibus Scoticis, qvi è reliqviis putridis navigiorum ortum trahunt ſuum, qvos ſe vidiſſe *Scaliger (Exerc. 59. ſ. 2. p. 615.)* gloriatur? Variant in deſcribenda harum geneſi ſcriptores. *Alexander ab Alexandro (l. 4. Genial. dier. c. 9. f. 199. a.)* à *Junio Dentato Parthenopeo* accepit ſæpe malos & navium carinas vetuſtate tabeſcentes ad littora expoſitas, & diutina aqva madefactas, qvosdam veluti fungos brevi pediculo juxta aqvas gignere, pau-

latimq; adoleſcere inter fluctus, lapſisq; diebus etiam moveri, ſed tamen â trunco minimè divelli: interjecto dein tempore, velut ad juſtam magnitudinem pervenerint, mirum dictu tradit, qvod omnem ſuperat fidem, fungos ejusmodi ita genitos, â trunco ſponte evelli, mox alis emisſis & penniculis enatis evolare, & marinas aves exiſtere, veſciq; piſciculis littoralibus, perq; maria pasſim enatare. In malis nauticis pice illitis in aqvas Oceani illapſis, & alga marina obductis, creſcere conchulas exiguas ſubalbas, vel onychini coloris, in forma cavitate & oblonga figura ungvi minoris digiti valdè ſimiles: qvarum duæ ſi conjungantur invicem, ita ut probè cohæreant ſupremis partibus magis acuminatis, accipiunt algæ extremitatem, & ſunt firmiter clauſæ latioribus: qvæ poſteà aperiuntur, ut fructus maturatus ſua ſponte excidat ad volatum, diſſerit *Mich. Mayerus* (*tr. d. volucri arborea c. 3. p. m. edit. germ. 24. ſq.*) dixerat ante (*p. 23.*) ſe oculis teſtibus ſupra centenas ejusmodi conchulas vidiſſe, iisq; apertis fœtus avium exiguos, velut ex ovo, mox prodituros, cum omnibus membris avi ad volandum neceſſariis, notaſſe. Et talis forſan fuit illa concha non magna Franciſco I. Galliæ Regi allata, in qva avis ſemiperfecta, *à Scal.* (*Exerc. 59. ſ. 2. p. 254.*) memorata. Ex navium fragmentis primum vermes pullulare, qvi paulatim enato capite pedibus atq; alis in anates vertuntur, *Petr. Servius* (*de ungvent. armar. p. m. 537.*); ex lignis aridis abietinis easdem prodire *Scotus ille Sylveſter Ratray* (*adit. ad Sympath. & antip. p. 3.*) edixit. Ex arboribus viridibus oriri aliis placuit. In arboribus ſalicibus ſimilibus pilas formari, & ex his aves anatum *Mizald.* (*Cent. 1. memor. aph. 17. p. 167.*) Ex frondibus in aqvam delapſis *Nieremberg.* (*l. 6. hiſt. nat. c. 11.*) E fructu foliis glomerato (*è Munſteri l. 2. Coſmogr. f. 49.*) *Mart. Weinrich.* (*p. 1. de monſtr. c. 7. f. 58. a.*) Has arbores primum ex putreſcentibus ejusmodi avibus productas, aves iterum circulo facto parere, *P. J. Fabri* (*Hydrogr. Spagyr. c. 6. p. 97.*) mens eſt. §. 132.

§. 132.

Non ſolum Pyrrhæ ſeculo

Piſcium ſumma genus hæſit ulmo,

Verùm & literis præterea mandatum legimus oſtrea in arboribus inventa, dum æſtibus marinis & affluxu, aqvis arbores interdum operiantur, iisq; recedentibus oſtrea ramis ita firmiter adhæreant, ut non niſi ſumma vi avelli qveant. Notavit id in Inſula Madagaſcar *Joh. Alb. Mandelsloh* (*Itin. Indic. p. 26.*) oſtrea in Guadalupa Americæ Inſula arborum ramis inſeruntur, ſeſeq; ſucco marini roris adaugent, idem circa Pleymouth Anglorum evenire *nuperi Scriptoris* obſervatione notum eſt. (*Pechlin. de aer. & alim. def. & vita ſub aqvis. c. 4. p. 56.*) Apud Inſulam Loandam Ambia Zamatare, ſive piſcem lapideum, vocatam, magna oſtrearum copia generatur ſupra cortices arborum, qvæ ſub marinis undis vireſcunt. (*Bonann. p. 1. de Teſtac. c. 4. p. 26.*) *D. Groſſius, D. Puteano regio Bibliothecario* ramum qvendam arboreum dedit absq; foliis, *Borellus* (*Cent. 4. obſ. 96. p. 351.*) ſcripſit. Sunt enim tantum longi qvaſi ſurculi, & in apice uniusçujusq; eſt concha, ſed hæc concha non habet marinarum figuram, ut â me primum obſervatum eſt; nam eſt inſtar amygdali, & e contrà aliarum concharum, qvæ vel una tantum, vel duabus ad plus conſtat partibus, hæc qvinq; partibus conſtat, qvinq; tales apud illum videntur adhuc eodem in ſurculo, qvæ forma nova oſtendit rem eſſe inſolitam, & non oſtrea caſu conjuncta. Siccine rectè aſſeruit (*l. 3. de gen. anim. c. 11. p. 1297*) plantas qvaſi oſtreas terrenas; & oſtreas plantas aqvatiles eſſe *Philoſophus*.

§. 133.

Pullulaginem iſtam verminoſam in plantis aliqvando grandeſcere obſervationes perſvadent. In Chili Americæ meridionalis provincia arborem eſſe, cujus in foliis vermes primò

naſcuntur, qvi dum in terram concidunt, in ſerpentes mutantur, qvorum tota terra plena eſt, *Kircherus* (*l. 3. Mund. magnet. p. 5. c. 1. Conſ. 3. p. 493.*) ſe audiviſſe teſtatur. Add. *P. Servius* (*c. l.*). Narrat *Jacobus Fortius*, qvod è *Cardano* (*l. 7. de var. rer. c. 28. p. 287.*) allego, vidiſſe, qvi ex avellana, qvæ vermem continebat, affirmabat ſerpentem magnitudine & forma educaſſe. Nam nuce ad vermem diviſa, eoq; illæſo nucem in lacte condebant, & vas ſoli exponebant, ſed ita ut vermis â ſole haud tangeretur. Ob id ea parte, qva ſol radiabat, vas contegebant. Poſt lacte addito rurſus exponebant Soli, lac autem ovillum eſſe oportet. Allegant hoc experimentum *Ulyſſ. Aldrovandus* (*l. 6. de inſect. c. 4.*) *Joh. Jonſton.* (*cl. 8. Thaumatogr. Nat. c. 2. art. 3. p. 375.*) Poterat hoc *Auguſtum Ezlerum* (*Iſagog. Phyſ. Mag. Med. c. 6. p. 127. ſq.*) movere, ut confidenter (*citante Steebio Cœl. Sephirot. c. 6. ſ. 1. n. 1258.*) ſcriberet, aut potius fingeret, ſub frutice nucis avellanæ reperiri ſerpentem album, cum frutex novem annis ſeneſcens viſcum protrudit. Serpentis hujus comeſtione aliqvem tàm ſapientem & prudentem fore, ut avium voces intelligat. Dicit porrò *Ezlerus* in Julo ſeu vena nucleum avellanæ per corticem nutriente ſemen eſſe ſerpentis hujus mercurialis, poſſeq; julum lacte caprino nutriri, ut in album ſerpentem excreſcat, ſimilemq; cum priori ſerpente virtutem elargiatur.

§. 134.

Fuere etiam qvi è vegebabilibus humanos ortus deducerent. Non eum modum hic intendo, qvem *Martinus Weinrich* (*p. 1. de Monſtr. c. 15. f. 136. a.*) recitat, dum qvomodo ex lactuca homo generetur aperit: Lactuca, *ait*, abit in ſangvinem, ex ſangvine ſemen, ex ſemine homo. Ex fungis humanum genus prognatum Corinthi Poëtæ fabulabantur, & ipſi fungi. Tertium genus hominum è fraxinis feciſſe Jovem *Heſiod.* (*op. & dies. v. 144.*) cecinit. E robore & luto primos parentes finxit *Juvenalis* (*Satyr. 6.*)

Qvip-

Qvippe aliter tunc orbe novo, cœloq; recenti
Vivebant homines, qvi rupto robore nati
Compoſitiq; luto nullos habuere parentes.

Succinit *Maro* (*l. 8. Æneid. v. 314.*)

Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæq; tenebant,
Gensq; virum truncis & duro robore nata,
Qveis neq; mos, neq; cultus erat.

Et (*l. c. Thebaid. v. 560.*) robore ſatarum gentium meminit, plenius verò (*l. 4. v. 285.*) Arcadum ortum deſcripſit *Papinius Statius,*

qvercus lauriq; ferebant
Cruda puerperia, ac populos umbroſa creavit
Fraxinus, & fœta viridis puer excidit Orno.

De Mirmidonum ortu *Ovid.* (*l. 7. Metam. v. 624.*). Concinit his *elegantiarum promus Condus Dan. Heinſius* (*l. 3. Eleg. 3.*)

Tellus homines plantasq; ferebat,
Atq; eadem puerum pomaq; ſylva dabat.
Qvilibet infantem pariter glandemq; legebat,
Et genitrix qvercus una duobus erat.

Homines è blito ortos prodidit *teſto Varrone, & qvi eum citat Goropius,* (*l. 1. orig. Antwerp. p. 3.*) *Empedocles,* De illo hæc (*l. 8, p. 616.*) *Laërtius,* Hæc viſa illi ſunt & placita τὴν ψυχὴν παντοῖα εἴδη ζώων καὶ φυτῶν ἐνδύεσθαι, animam omnigenum animalium atq; arborum ſpecies induere. Subjicit de ſeipſo verſum:

Nam memini fueram qvondam puer atq; puella,
Plantaq; & ignitus piſcis, pernixq; volucris.

Priapum è ficu prognatum *Rodolph. Goclen.* (*in Jodoc. Willich. Phyſiol. crepit. ventr. & riſus. probl. 1. p. 2.*) prodidit. Apollinem ex loto progenitum finxerunt alii (*Vid. Joh. Gorop. Becan. l. 6. Hieroglyph. p. 84.*)

Sub-

Subjungam luſibus poeticis aliam fabulam: Zu Cambaja iſt ein Baum, den mann auch in Surat bedienet. Auff dieſen ſoll Gott geſchlaffen haben, aus deſſen Nabel eine Bluhme, und aus der Bluhme der Braman herfür gewachſen ſein. (*Heinrich von Poſer Itiner.*) Nicht weit von der Stadt Cumeron in der alten Landſchafft Beruhat ſtehet ein ſchöner grosäſtiger Baum, welchen Allahverdi Chan zu ehren dem Bibilur mit einem Tempel gezieret. Uber dieſes Baums blat ſoll der Anent Sen, des Mahade (Adams) Vater auff dem Meer geſchlaffen haben, und Ihm aus ſeinem Leibe eine Blume, welche der Mahade geweſen, gewachſen ſein. (*Id. ib.*)

§. 135.

Vermes etiam generantur in brutis vivis, mortuis, eorumq; excrementis. Omnes cervi continent in capite vermes vivos (*Ariſtot. l. 2. c. 15. p. 863. ſq.*) qvi naſci ſolent ſub lingva in concavo circiter vertebram, qva cervici innectitur caput, magnitudine haud minores iis vermibus, qvos maximos carnes putres ediderunt. Gigni univerſi atq; contigui ſolent numero adeò circiter viginti. Exſcripſit hoc *Plinius* (*l. 11. c. 37.*) Nos ipſi vidimus recitat *Conrad Heresbach* (*Thereut. p. 774.*) menſe Majo in Menapiis cervum exenterari, cujus caput ſuccíſis cornibus apertoq; cranio pollicaribus vermibus præter capita rubra albicantibus ſcatebat. Plura *Fr. Redi* (*de gener. inſect. p. 305.*) Idem in cerebro boum & canum rabidorum obſervarunt ruſtici, (*Th. Bartholin. Cent. 3. Epiſt. med. 48. p. 198.*) obſervavit & in canibus *Noſter Paulini* (*elegantiſſ. Cynogr. ſ. 4. c. 11. §. 6. p. 217.*) in cerebro vervecum *Fr. Redi* (*c. l. p. 309.*) De vermibus Pſittacorum Braſilienſium nares obſidentibus *Georg. Marcgrav.* (*l. 3. hiſt. Braſil. c. 5.*) Ferunt intra oculos cervi veſpas enaſci ac provolare, ſcribit *D. Joh. Andr. Graba* (*Elaphogr. ſ. 1. c. 2. p. 29.*) Veterum bufonum oculi ſcatent albis vermibus, nigrisq; capitibus prominentes, adeo ut uterq; oculus totus in ver-

vermes transformatus ſit. Fortasſis 50. numero in ſingulo oculorum foramine denſè compacti, qvorum capita foris eminent, & qvoties aliqvis egredi vel prominere conatur, ſtatim bufo appoſita manu, egreſſum vetat. (*Helmont. tr. Tumulus Peſtis. p. 884*) Eſt vermiculus ſub lingva canum, (*ait Plinius. l. 29. c. 5.*), qvi vocatur à Græcis lytta, qvo exemto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec faſtidium ſentiunt. Nervo candido hunc non abſimilem deſcribit (*in Cynoſoph. ſeu de cura canum c. 8. p. 5.*) *Phamon Philoſophus*, aut potius judicio *D. Andreæ Rivini Demetrius Conſtantinopolitanus Pepagomenus*, qvem tamen tendonem potius ſub lingva canum aculeatum pronunciavit *laudatus Rivinus* (*in not. & var. lect. ad h. l. p. 20.*) nervum autem vermiculi figura rotunda teretiq; forma putabat *Levin. Lemnius* (*l. 3. de occult. nat. mirac. c. 5. p. 304.*) In oſſe ſpongioſo lupi duos vermiculos latiusculos. *D. Salom. Reiſſelio* (*Dec. 1. M. C. Ann. 3. obſ. 193. p. 366.*) notavit. In ventriculo eqvæ mortuæ alterũ conclave ſcatens vermibus deprehendit *Clariſſ. Joh. Conrad Peierus.* (*Exerc. anat. Med. 28. p. 152. ſq.*) Mentiebantur qvodammodo erucas vel bombyces, ſed abſq; pedibus. Præterea teretes erant ſinguli, pollicem unum æqvantes longitudine, crasſitie calamum ſeu pennam anſerinam, qva vulgò ſcribimus. Caput iis exile, venter ſibi æqvalis, podex craſſus, & cauda nulla terminatus. Totum verò corpus in interſectiones complures diviſum, ſectionem qvamvis in orbem ſtipantibus apicibus ſeu aculeis nigris & duriuſculis, qvi corporis ſuperficiem propterea aſperam & adhæſioni aptam, reddebant: Color vermium qvibusdam albidus, rubicundus aliis. In capite eorum eminebat roſtellum nigrum, bifurcum, & hami vel anchoræ inſtar recurvum. Hoc ventriculi poris impacto tam firmiter adhæſerunt vermes, ut ad evellendum vi opus fuerit. De vermibus ventriculi lupini *celeberrimus Joh. Jac. Wepferus.* (*Dec. 2. M. C. Ann. 8. obſ. 1. p. 1.*) In Epate canis vermem hirſutũ notavit *Borellus* (*Cent. 3. obſ. 33. p. 222.*)

In Hepate ovili & bubulco ſciſſo vermes reperit latos *Joh. Sophron. Kozack.* (*tr. de Sale c. 2. ſ. 8. p. 75.*) ovium ſeroſa lue affectarum jecinoribus tumor qvidam aſſidet, in medio hoc tumore, *obſervante id Franciſco Gliſſonio* (*Anat. Hepat. c. 7. p. 81.*) cavitas qvædam aqva plena reperitur, in qva vermiculi lati hoſpitantur, figura qvidem rhombi piſcis, ſed minores multo, ſcilicet vix pollicaris longitudinis, die Egeln vulgò vocant. (*Salom. Reiſſelius Dec. 1. Ann. 3. M. C. obſ. 193. p. 866. Add. Auguſt. Hauptmann. de Therm. Wolkenſtein. c. 8. Epiſt. ad Kircher. p. 201. Ephem. Erudit. Tom. 4. Eph. 6. p. 85.*) Vermes in epate leporis, veſiculis incluſos animadvertit *Stolzius* (*apud Gregor. Horſt. l. 1. Epiſt. med. ſ. 18. p. 501.*) alium itidem veſiculæ impactum in jecinore muris *Frid. Ruyſchius,* (*obſ. anat. 9. p. 54.*) cui & meſenterium eqvi luſtranti alius vermis occurrit (*obſ. 6. p. 51.*). Vermes veſiculares in caprearum omentis nunqvam ſatis laudanda *Noſtri Hartmanni* (*M. C. Dec. 2. Ann. 4. obſ. 73. p. 152.*) detexit induſtria. Diſſecta rana fœmina didicit *Antonius de Leeuwenhœck* (*p. 1. Anat. & contempl. p. 67.*) eam habere in ſuis inteſtinis vermes ſimiles infantium lumbricis, qvos per alvum ejiciunt: magnitudo illarum erat capilli unius noſtri corporis. Aſtaci fluviatilis Dracunculos egregiè (*tr. d. ven. Medin. c. 5. p. 139*) delineavit *Magnus Velſchius.* In fundulis piſcibus eosdem non ſemel reperi, qvos venarum albarum, aut ligularum nomine mactat *Conrad. Gesnerus* (*l. 4. hiſt. anim. p. 106.*) & iisdem piſces affici aſſeverat. Ballerum & Tillonem piſces lumbrico debilitari *Ariſtot.* (*l. 8. hiſt. anim. c. 20. p. 1039.*) *autor eſt.* Canes lumbricis inteſtinorum infeſtari jam olim notavit idem (*l. 9. hiſt. anim. c. 6. p. 1049.*). Teretes non ſemel cum excrementis egeſtos, & etiam in inteſtinis ſtabulantes inveni. Cum olim *cum Beato D. Godofredo Buxbaum* in illuſtri Philurea canem macie confectum cultello anatomico ſubjicerem, in inteſtinis Tæniam ſesqviulnam longam conſpeximus. Lanii Germani, *ab Adriano Spigelio* de generatione lumbrici lati in bobus (*l. de Lumbrico lato c. 9.*

lato c. 9. p. 30.) conſulti, retulerunt ſe circa initia æſtatis, vel medio veris tempore, qvo generationis primordia ducere ajunt, exiguum aliqvando per longitudinem inteſtinorum diſtentum, & firmiter iis annexum conſpexiſſe. Cervos vermes in teſtinorum involucris implicitos ſerpentum eſu necare, *Theomneſtus* (*l. 1. art. veterin. ap. Caſp. Bauhin. tr. de Lap. Bezoar. c. 7. p. 37.*) ſcripſit. Vermes in renibus canum inventos deſcribunt *Isbrand de Diemerbrock* (*l. 1. Anat. c. 17. p. 153.*) *Stephan. Blancard.* (*p. 2. Prax. Med. c. 62. p. 424.*) *Carol. Rayger.* (*Dec. 1. Miſc. Cur. Ann. 6. obſ. 98. p. 370.*) *Martin. Joh. Haesbaert* (*Dec. 2. M. C. A. 2. obſ. 130. p. 295.*) *D. Boirel* (*Zodiac. Gall. Ann. 1. M. Jun. obſ. 2. p. 98.*) *D. Landovillette* (*ib. M. Auguſt. obſ. 2. p. 134.*). Vermis ſerpentis forma pollicem longus in conſumto lupi rene apparuit *Salom. Reiſſelio* (*c. l.*) qvod & *Carol. Rayger.* (*c. l.*) *C. Stephanum* (*l. 7. Agric.*) notaſſe monuit. Hoc ſe primò vidiſſe & notaſſe *Johann de Clamergan Gallus* (*von der VVolffjagt. c. 1. f. 4. a.*) aſſerit. De vermibus qvi Falconibus propè renes generantur *Joh. Jonſton* (*Thaumatogr. Nat. cl. 6. c. 16. p. 256.*) *G. H. Velſchius* (*de ven Medinenſ. c. 5. p. 337.*), qvi & in alaudis Dracunculos ſæpiùs animadvertit, ſi ipſæ aves ſpectentur, longisſimos in renibus hepate & inteſtini renatos. De animaculis in lacte percæ, cyprini lati, truttæ & tincæ, & qvæ in ſemine aliorum animalium oculo armato perſpexit *Anton de Leeuwenhœck* (*Anat. & contempl. p. 1. p. 63. p. 2. p. 1. p. 110. p. 149. & alibi*) infra (*p. 2. Diſſ. 3.*) pluribus diſſeram.

§. 136.

In partibus externis brutorum ζωοφύεσιν etiam oculorum acie tueberis. De cane ex cujus toto corpore magno cum fœtore innumeri prodibant vermes *Paulini noſter* (*c. l. §. 5. p. 217.*) Rarus profectò Drancunculus ille eſt qvem in carduelis aviculæ coxa invenit (*c. l.*) *Spigelius.* Turpe pediculorum agmen omnes brutorum ſpecies infeſtat, qvinimò & plantas, qvod *Th. Mouſetus* (*l. 1. Theatr. inſect. c. 24.*) annotat. *Conf. Ariſt.* (*l. 5. hiſt. anim. c. 31. p. 953.*) *Plinius* (*l. 11. c. 39.*) & *Jonſton* (*l. 2. de inſect. c. 1. artic. 3. p. 123.*) aſi-

num excipit, qvod, tardo gradu incedens, nullo ſudore profluat. Sed & hunc ideò tantoperè circumverſatione in pulverulento campo peracta gaudere, æqvè ut aves pulveratrices *Kircherus* (*Epiſt. ad Auguſt. Hauptmann. VVolkkenſt. warmen Bad-ſchazz. append. p. 250.*) opinatur. Qvinimò Pediculum aſini (*c. l. tab. 21.*) delineavit *Redi*, & non ſine cauſa frivolam iſtam ſententiam, qva aſinum non ſolum pediculo ſed & reduvio fecit immunem *Ariſtoteles* (*l. c. p. 954.*) & cum eo *Plinius* (*l. c. c. 33.*), explodit, ut & pediculum Cameli, (*tab. 20.*) Arietis Africani & Gallinæ Africanæ, (*tab. 22.*) Cervi. (*tab. 23*) In aqvis & mari etiam piſces hoc malum, *teſte Philoſopho* (*c. l.*) infeſtat. *Conſ. Auguſt. Hauptmann.* (*c. l. p. 201.*) Habent & immania Cete, qvos reformident, pediculos. Die Wallfiſch-Läuſe ſezzen ſich zwiſchen die Floſsfedern, Schaam und Lefzen, da er ſich nicht reiben kan, beiſſen Ihn ſtücke aus der Haut, als wenn die Vogel daraus gefreſſen. (*Fried. Martens Spizzbergiſche Reiſe-Beſchreibung p. 4. c. 5. §. 4. p. 86*) Ipſis etiã Scarabæis pediculos exiſtere moleſtos è *Mouſeto* prodidit (*p. 305.*) *Franciſc. Redi.* Succedunt his pulices omni brutorum ſpeciei maximè infeſti, prout eleganter iterum *Franciſci Redi* (*c. l.*) ſolertia Pulicem Accipitris (*t. 1.*) Abardeolæ, (*t. 7.*) Anatis Turcicæ, (*t. 9.*) Ardeæ, (*t. 6.*) Capi, (*t. 16.*) Capreoli, (*t. 29.*) Cervi, (*t. 23.*) Cygni, (*t. 8.*) Fulicæ, (*t. 4.*) Gallinæ, (*t. 2.*) Gruis, (*t. 3.*) Pavonis, (*t. 14.*) Pavonis albi, (*t. 15.*) Picæ, (*t. 5.*) Pluvialis, (*t. 11.*) Qverqvedulæ (*t. 12.*) Sturni, (*t. 2.*) Sturni Candidi, (*t. 17.*) Tinnunculi, (*t. 13*) Turturis, (*t. 2.*) depingens demonſtravit.

§. 137.

Ex animalibus mortuis examen verminoſam prodire nemini ignotum eſſe poterit. Sunt illi aliqvando matri ſimiles, aliqvando disſimiles. Similes qvando v. g. è Ranis in limum ſolutis, aut ranarum & bufonum cadaveribus ranæ & bufones repullulant *Kircher.* (*l. 12. M. S. ſ. 2. c. 8. p. 392.*) *Borell.* (*Cent. 4. obſ. 34. p. 303.*)

p.303.) Ita è ſcobe ſerpentis exſiccati cum terra paluſtrium aqvarum commixtione ſubacta, ſoliq; temperato verno tempore expoſita ſerpentes *teſte Kirchero* (*l. 3. Mund. magnet. p. 7. c. 3. p. 500. & c. 4. §. 2. p. 549. l. 12. M. S. ſ. 2. c. 8. p. 392.*) producuntur. Aliud experimentum (*Scrutin. Peſt. ſ. 1. c. 7. ſ. 2. p. 70.*) curioſis exhibet. *Add. Beck.* (*Exper. circa rer. nat. princ. p. 236.*) Ante hos id dudum docuit *Paracelſ.* (*l. 6. de Nat. rer. p. 897.*) Qvod ſi experientiæ reſpondet, multum detraheretur pulveri ex ſerpentibus à Chemicis parato, & contra venena & peſtem ipſam tantoperè ab ipſis commendato, de qvo vid. *Ludovic. ab Hörnig.* (*VVürg-Engel. qv. 337. p. 591.*) Reformidat ſanè lumbricos inteſtinorum vino lotos, in tegula ſiccatos, verminoſis pueris, qvod qvidam faciunt, exhibere *Henricus ab Heer.* (*l. 1. obſ. 9. p. 137.*) cum, experientià edoctus, certò ſibi perſvadeat materiam illam vermium putrem, putri puerorum pituitæ remixtam, magno illorum calore iterum animari. Ita lumbricos terreſtres ex proprio cadavere renaſci *Kircherus* (*l. 12. M. S. ſ. 2. c. 1. p. 376.*) aſſeveravit, qvod etiam de muſcis (*c. 4. p. 381.*) confirmat. Cancros fluviatiles reverberio calcinatos ex cineribus reſtitui poſſe olim Pariſiis *Certain Medicus Pariſienſis fide dignus Joh. Schrœdero* (*Vid. l. 5. Pharmac. proœm. p. m. 265.*) narravit. Qvod & *Borellus* (*c. l. p. 304.*) ſuis inſeruit, modumq; exactius, propriam allegans experientiam, communicavit *Kenelm. Digby.* (*de plantar. vegetat. p. 69.*) Sunt aliqvando matri disſimiles, ita Ardea putrefacta in piſces ex qvibus nutritur mutatur *Borell.* (*c. l.*), in lucios aut carpiones, ſi iisdē nutrita (*id. c. l. obſ. 62. p. 326.*). Anates in Bufones aut Serpentes. (*Beck. c. l. p. 243.*) Apes in totum amiſſas reparari ventribus bubulis recentibus cum fimo obrutis, *Virgilius* juvencorum corpore examinato, ſicut eqvorum veſpas atq; crabones, & aſinorum ſcarabæos mutante natura ex aliis qvædam in alia, (*l. 11. c. 20.*) *Plinius.* Subſcribunt *Plinio Varro* (*l. 3. de re ruſt. c. 16. p. 120.*) Ex vitulo ſtrangulato & rore *Helmont.* (*tr. poteſtas medicam. n. 37. p. 384.*)

generari aſtruit. Modum demonſtrat *Florentinus* (*l.15. Geopon. Conſtantin. dicat. c. 2.*) βȣγȣνεῖς ideò, dicuntur apes, *Vid.* (*l.22. c. 3. col.1124.*) *Cæl. Rhodiginus*, & *Philo* (*in compoſitione Philonii verſibus deſcripti*) mel ταύρου θυγατέρων πόνον, liqvores filiorum tauri appellitat. Qvocirca & apes capite bovem referre *Kircherus* (*l. 5. M.S. ſ. 4. c. 2. p.107.*) expertus eſt. Non poſſum qvin *Bernardini Gomeſii Miedis Saguntini* (*l.1. de Sale*) experimentum à *Voſſio* (*l.4. Idolol. c. 67. p.1523.*) citatum inſeram. Referam, *ſcribit*, rem novam, inauditam, neq; viſam hactenus, neq; ab ullo ſcriptore, qvod ſciam, memoriæ proditam. Nam cùm captus â me fucus digitis atq; ungve medius premeretur; ſi fortè aliqvid vice aculei emitteret, ecce ruptis viſceribus, atq; poſterioris partis pellicula, album ſeu croceum caput bovis expanſis & tortuoſis cornibus roſtroq; adunco affabrè formatum derepentè emerſit. Qvam rem ſummè, qvi aderant, admirantes, atq; idcircò id ipſum denuò experiri efflagitantes, aliis ſubinde qvinq; fucis â me, ut antea, presſis totidem ſimiliter boum capita eruperunt: natura (cui meritò ſumma ineſt cura apum) in hoc portento ſeminalem ipſarum rationem, atq; unde tandem amiſſæ inſtaurandæ ſint per fucos mirè oſtenderet. Hæc etiam expertus *Kircherus* (*l.12. M.S. ſ.1. c. 9. p.370.*) veriſſima deprehendit. Ex boum excrementis etiam apum geneſin derivat *Kircherus* (*c. l. ſ. 2. p.378.*), ut ex apum excrementis fucorum. Sacrabæi pilulares ex rore & ſtercore boum ſecundum *P. J. Fabrum* (*l. 3. Panchym. ſ. 5. c. 3. p.357. & l. 4. ſ. 4. c. 4. p. 467.*), Scarabœos integros una cum calido fimo eqvorum evolutos fuiſſe obſervavit aliqvando *Kircherus*, (*c. l. c. 5. §. 1. p.384.*) qvorum deinde alii magno numero & extemporaneo qvodam ortu ex ſubjecta materia prodierunt.

§. 138.

An & brutis humanos ortus adſcripſerint Ethnici? ſi ſcire geſtias, *Plutarchum* (*l. 8. Sympoſ. probl. 8. p. m. 357.*) audire non faſtidies. Qvi ab Hellene priſco, *ait*, genus ſuum ducunt, primi-

genio

genio ſacrificant Neptuno, qvod hominem ex humida ortum naturâ cenſent, ut etiam Syri. Itaq; piſcem venerantur, ut cognatum, & unà educatum, rectius *Anaximandro* philoſophantes. Is non in iisdem piſces & homines, ſed homines in piſcibus innatos principio aſſeruit, cumq; nutriti eſſent (ut Veteres putant) & jam ad ſeſe tuendum ſatis haberent virium, ejectos terram occupaſſe. Ergo ſicut ignis materiam, in qva accenſus fuit, matrem patremq; ſuum devoravit, ut ait is, qvi *Heſiodi* operibus carmen de ceycis nuptiis inſeruit: Ita Anaximander hominum patre matremq; communiter pronuncians piſcem ab ejus eſu dehortatus eſt.

§. 139.

In homine vivo proh qvanta animalium ſeges animadverſa. De vermibus in ſangvine, qvi ſecundum naturam ipſi ineſſe creduntur, iſta Borellus (*Cent. 3. obſ. med. Phyſ. 4. p. 198.*) Res adhuc usq; inaudita, & certè ſtupenda eſt, naturæq; luſus, vel providentiæ ejusdem admirandum argumentum. Ceti ſeu balenimorpha animalia in ſangvine humano, tanqvam in rubro Oceano, natant, & qvemadmodum muſciliónibus Elephantorum proboſcides Deus conceſſit, ſic iſtis ſyphones retro capita ad ſangvinem eructandum, tanqvam balenis, non denegavit, cucurbitæ ſemen vel myrti folia æmulantur, venis etiam ſcatent ita diſpoſitis, ut nervos foliorum referant. Obſervavit etiam *illuſtris Profeſſor Theod. Kerckringius* (*Spicil. anat. obſ. 93. p. 178.*) Epar hominis & reliqva parenchymata ſcatere animalculis minutiſſimis, qvod an perpetuo motu ea corrumpant, an conſervent (utpote pravum ſangvinem hauriendo, qvæ *Borelli c. l.* eſt conjectura) cenſet dubium videre poſſe ei, qvi conſiderat domum, dum incolitur, ſplendeſcere, eandem tamen atteri continua inhabitantium cura.

§. 140.

In habitu & cavitatibus corporis etiam præter naturam animalcula proveniunt, inq; ipſo ſangvine hominis aliqvando corpus exeſum, qvod *Plinio* (*l. 26. c. 23.*) non diſplicuit. In omnibus etiam cavitatibus, viſceribus & partibus corporis, de qvo obſervationes congeſtæ legentur *alibi* (*l. 3. de mirac. mort. Tit. 1. §. 2. & ſq.*), eosdem offendit curioſorum Anatomicorũ ſedula dexteritas. De variis animaliũ etiam perfectorum in homine vivo receptis ſpeciebus, *peculiari Epiſtola ad*

Magnif.

Magnif. D. Lucam. Schræckium Fautorem & Collegam colendum egi, qvæ (*Dec. 1. M. C. An. 8. obſ. 157. p. 341.*) legitur. Obſervatum eſt noſtra memoria, *docet Lev. Lemnius* (*l. 2. de occult. nat. mirac. c. 40. p. 337.*) ê diſſecto mulieris cujusdam corpore beſtiolas exemptas ſoricibus muribusq; non abſimiles. Anno 1649. commemorantur in Hungaria circa Thayſæ flumen inventi homines, in qvorum corporibus lutræ & lacertæ eſſent inventæ, (*Joh. VVier. l. 3. de præſtig. dæmon. c. 15. p. 430.*) Annum 1551. habet *Mich. Neander* (*p. 1. Phyſ. Philoſ. p. 365.*) qvi narrationem Viennæ impreſſam allegat. Add. *Job. Fincel* (*1. von VVunderzeichen*) è *Geſnero Mizald.* (*Cent. 5. memorab. aph. 1. pag. 92.*) *Pherecydes* copia ſerpentum ex corpore ejus erumpente, ſi *Plinio* (*l. 7. c. 5*) fides, expiravit. Scabiem ſerpentium vocat *Apulejus* (*l. 1. Florid. p. m. 344.*) De Indis Orientalibus *è Philipho de SS. Trinitate Marcus Marci* (*p. 4. Philoſ. Vet. reſtit. ſ. 2. p 434.*) *VViel. Cent. 2. obſ. rar. 29. pag. 310.*) qvi de vermibus ex aliis collectas plures obſervationes exhibet.

§. 141.

Ex utero humano præterea varia prodiiſſe animalia viva, putredinis ibidem patratæ ſoboles, annotatum lego. De menſtruis verminantibus *Paulini* (*obſ. med. phyſ. 15 p. 13.*) ut & de aſellis cum lochiis rejectis (*obſ. 37. p. 24.*) De lochiis verminantibus, & de verme ultra qvadrantem ulnæ longo, qvi ſe circa funiculum infantis umbilicalem convolverat, & minore in placenta uteri locato, *Cornel. Stalpart von der VViel* (*Cent. 2. obſ. rar. 29. p. 310.*) In pago Olbernau feriis Chriſti natalitiis bufonem peperit mulier, qvi disruptus totam domum virulentia affecit. (*Sturmius in Calend. Sanct. pag. 949.*) Anno 1572. mulier bufonem partu edidit. (*Joh. Prætor. l. 2. Neue VVelt beſchreibung. p. 300*) De monſtro bufoni ſimili *Laz. River.* (*Cent. 2. obſ. 100. p. 611.*) de Ranis *Mart. VVeinrich.* (*p. 1. de monſtr. c. 14. f. 130. b.*). Serpentem peperit inter initia Marſici belli ancilla. (*Plin. l. 7. c. 3.*) Margarita Laurentii Valeſtari uxor ſerpentem ejecit alas habentem eo loco, qvo manus eſſe conſveverunt. (*Juſtinian. l. 5. Annal. Januenſ. ad Ann. 1491.*) Alia Romæ ſerpentem enixa (*Al. Appianus l. 1. & 10. de bell. Roman. civil.*) Qvædam Genuæ, (*Petr. Bizarrus Annal. Genuenſ. p. 309.*) in oppido

Aue

Aue prope Schneebergam alia, (*Tob. Schmid. Annal. Zwikkav. p. 505.*) Serpentulum qvadrupedem (Ein Jüngferlein), (*Blancard. Cent. 4. obſ. 82. p. 318.*) iterum alia. Jungitur aliqvando fœtui bufo, rana aut ſerpens. (*Bodinus l. 3. Theatr. nat. p. 392.*) Ita Cracoviæ anno 1490. partu enititur fœtum exanimen mulier, cujus dorſo ſerpens vivens, & fœtum arrodens, adhærebat. (*Rubeaqvenſ. l. 4. Chron. Polon. c. 77. Cromer. l. 30. de reb. Polon. p. 644. Fortun. Licet. c. l. cap. 4. pag. 66. & c. 61. p. 201. Caſp. Bauhin. append. ad Rouſſet. d. part. cœſareo 7. hiſt. 6.*) Puerpera poſt enixum fœtum diros cruciatus circa matricem ſentiens ab utero abjecit vermem ad inſtar lacertæ longitudine, palmum unum cum decenti latitudine æqvantem. (*D. Joſeph. Lanzon. Dec. 2. M. C. ann. 8. obſ. 24. p. 74.*) Mures vivos qvinq; excluſos notavit *Phil. Salmuth.* (*Cent. 1. obſ. 61. p. 39.*) *Joh. Schenckius* (*l. 4. obſ. 1. p. 624.*) unum poſt fœtum murem *Steph. Blancard.* (*Cent. 4. obſ. 4. p. 9.*) & molas aliqvot mures referentes *Phil. Salmuth.* (*c. l. obſ. 65. p. 42.*) *Borell.* (*cent. 3. obſ. 73. p. 254. & cent. 4. obſ. 100. p. 353.*) Monſtrum felinum *Licet.* (*c. l. c. 58. p. 193.*), Glirem *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. hiſt. 19. p. 22.*) qvi ex relatione *Joh. Naborovvsky Poloni* geminos piſciculos, qvi excluſi protinus in aqvis aliorum piſcium more natabant, huic addidit (*p. 23.*) Tincam vel cyprinum qvædam mola imitabatur *Phil. Salmuth.* (*Cent. 3. obſ. 99. p. 159.*) Aſtacorum copiam alia *Joh. Schenckius* (*c. l.*) Anſerum in fœminæ cujusdam utero generatorum memoriam refricat *Hieron. Hirnhaim.* (*Typh. gen. hum. c. 9. n. 5. p. 101.*), Pulli gallinacei *Paulin.* (*obſ. 54. p. 84.*) Eqvum Patavii anno 1625. fœmina judaica (*Gisbert. Voët. p. 2. diſp. ſel. p. 924.*) per uterum ejecit. Nec dubium cenſet *Exc. Velſchius,* (*Cent. Epiſagm. 76. p. 50.*) qvin huc pertineat Elephas, qvem olim enixa Alcippe *apud Plinium* (*l. c.*), qvamvis inter oſtenta numeratus, & angvis *apud C. Tacitum* (*l. 14. 12. 4.*) Leonem vivum Neuſoli fœminam peperiſſe literis notum fecit *Spilenbergerus immortali noſtro Sachſio* (*vid. Dec. 1. Ann. 2. obſ. 160. p. 258.*) qvi & in Ca-

mera anatomica Dreſdenſi anno 1642. abortum Elephantem figura repræſentantem notavit. *Plura Joh. Schenckius* (*c. l.*)

§. 142.

Infeſtat & Apuliam ac ora maritima Italiæ circa Piſanum agrum id vitium, *commemorat Alex. Benedict.* (*l. 25. d. cur. morb. c. 36. p. 994.*) qvo plures molas parere viſuntur, in qvibusdam locis ſuperfœtant, bubonis ſimilitudinem (accipitrem, aqvilam, lacertam addit *Joh. Mich. Savanarol. Pract. maj. tr. 6. c. 21. rubr. 27. f. 265. a.*) & animal dirum cum partu humano edunt, interdum Harpyiæ forma vivere ſubinde eas dicunt, ac per cubiculum volitare, qvæ ſæpè in utero partum necavere, aut roſtro infeſto, aut compreſſu. (*Conf. Joh. Ludovic. Vivem* (*lib. 1. de Anim. p. 11.*) *Joh. Schenckium* (*c. l. p. 623.*) Pater *citati Savanarolæ* hanc feram ſæpè vidit, & aſſerunt, illæ mulieres, qvod qvando cum illo foetu oritur beſtia ſeu fera nobilis, ut accipiter & hujusmodi: Tunc fœtus ille ex nobili viro conceptus fuit. Qvod ſi fera fuerit ruſtica, ut bubo, lacerta & hujusmodi ex ruſtico & vili homine factus eſt: & hæc fera qvandoq; fœtum perimit, & dicitur, qvod ſi cadens in terram hora partus mordeat eam, ſtatim moritur fœtus, (*Savanarol. c. l.*) Si tangat terram emori puerperam ſyncope credunt, cui incommodo, ut eant obviam, ſupponunt ſemper ſtragulum, deinde aqvæ immergunt, verſantq;, deniq; in cloacas abjiciunt. *Th. Barthol.* (*Cent. 3. hiſt. 1. p. 5.*) Qvod multos pedes habeat, apud Barbaros *Platearium*, *Gordonium*, *Tornamiram & Alios* Arpæ vel Arpiæ nomen tulit, fratris etiam Lombardorum, qvod ſæpè cum fœtu lucem videat. (*River. Cent. 2. obſ. 100. p. 611.*) Harpyias appellari, qvod fœtui alimentum præcipiant, *Velſchius autor eſt*, qvi talem Elephantis formam referentem (*c. l.*) deſcripſit. Harpæ mirabilis ante fœtum maſculinum excluſæ meminit *Gregor. Horſtius* (*Epiſt. med. ſ. 6. p. 413.*) qvæ paulò poſt, inſignem poſt ſe relinqvens fœtorem, evanuit.

§. 143. A-

§. 143.

Aliud animal in Belgio fœminæ unà cum fœtu parturiunt, qvod Suygers appellitant, molá vivã volatilẽ *Th. Barthol.* (*Dec. 1. M.C. Ann. 2. obſ. 160. p. 255. & vol. 1. Act. Hafn. p. 1. obſ. 26. p. 57.*) qvi eandẽ Hafnienſibus familiarem retulit, ejusq; ſceleton depinxit, & à teſtibus oculatis percepit *Phil. Salmuth.* (*Cent. 1. obſ. 56. p. 43.*), Comitiſſam qvandam à Mansfeld, conjugem Comitis in Leningen, gravidam conqveſtam fuiſſe, ſe præſentire qviddam in utero depaſcens. Enititur illa poſt aliqvod temporis ſpacium filiolam ab uno latere prorſus depaſtam. Mirantur mulieres aſtantes. Obſtetrix denuò, ratione ſecundinæ manus admovet, mordetur illius digitus, ita ut exclamaret. Nihilominus animum ſumens extrahit animal qvoddam roſtro præditum, & qvidem avem vivam, nudam tamen & implumem: qvæ, qvod mulieres præ terrore illam dimitterent, ultro citraq; diſcurrens, & latebras qværens, ſub ſcamno ab aſſiſtente qvadam pulvinari obruta, tandem ſuffocata extingvitur, & igni poſtmodum crematur.

§. 144.

Etiam tumores animalculorum & animalium conditoria celebrantur. De habitu corporis verminoſo cum variolis ac puſtulis *Joh. Rhodius* (*Cent. 3. obſ. 64. p. 154.*) Vermes è vulnere pectoris excluſos propalavit *D. Boirel. ap. Nic. Blegny* (*Ann. 1. Zod. Gall. m. Jul. obſ. 1. p. 111.*). Ex umbilici abſceſſu *Cabrolius* (*obſ. 19. p. 11.*) E tumore teſticuli in Venereo *Paulini.* (*obſ. 39. p. 28.*) Venereum phtiriaſi conſumtum ſiſtit *Idem* (*obſ. 38. p. 24.*) & totum verminoſum, (*obſ. 41. p. 26.*) De vermibus mammillarum cancroſarum *Giſeler.* (*Dec. 1. M.C. ann. 2. obſ. 148. p. 232.*) *Paulini* (*obſ. 46. p. 29.*) ingvinis ulcerati vermes *D. Boirel. ap. Blegny.* (*c. l. p. 112. & m. Jun. obſ. 4. p. 99.*) E tumore genu dextri lentis magnitudinem vix ſuperante vermes pertenues, veluti pili, prodibant. (*Petr. Poter. Cent. 1. Curat. 47. p. 93.*) Dracunculos Ægyptiorum, Indorum & Arabum qvidem ſe vidiſſe

negat *Galen.* (*l. 6. de loc. aff. c. 2. p. m. 577.*) viderunt tamen Alii. *Agatarchidis* teſtimonium citat (*l. 8. Sympoſ. problem. 9. p. m. 362.*) *Plutarchus*, vidit & *Amatus* (*Cent. 7. cur. 64.*) viderunt & *Joh. Albert. à Mandelslob* (*lib. 1. Itin. p. 18.*) *J. J. Strauß.* (*l. 3. itin. c. 35. p. 196.*). Iisdem laboravit ipſe *Tavernier* (*lib. 5. itin. Perſ. c. 22. p. 282.*) Plura *de vena Medinenſi* pasſim *Velſchius*. Sic aliqvando ſtruma in collo ad ovi magnitudinem caſu enſe altercantibus militibus, cum vir ille, qvi ſtrumam haberet, intercederet, vulnerata, patre meo *Jacobo Foreſto*, viro nobili, ſpectante, qvi caſum mihi narravit, pediculis referta erat, iisq; viventibus. Ita *Foreſtus*, (*lib. 8. obſ. med. 15. p. 245.*) qvi ſubjicit, in puella gibboſa Burgunda, in gibbo maximum pruritum ſentiente, aperto gibbo, repertus eſt abſceſſus pediculis refertus. Tumor inter ſcapulas exortus apertus pediculis plenus deprehenſus *D. Daniel Crüger.* (*Dec. 2. Ann. 4. M. C. obſ. 18. p. 40.*) De abſceſſu in gibbo erucis viridibus pleno *Noſter Paulini* (*obſ. med. Phyſ. 63. p. 38.*) De veſiculis per totum corpus parvorum pediculorum diverſoriis *Borell.* (*Cent. 1. hiſt. 26. p. 26.*) In Bubonibus peſtilentialibus vermium minutisſimorum fœturam *Julius Placentius Medicus Romanus* (*ap. Kircherum Scrutin. peſt. ſ. 2. c. 4. p. 241.*) obſervavit. In Atheromatum humore animalia culicibus aut parvis muſcis ſimilia ſe aliqvando reperiſſe *dixit Philoxenus juxta Franciſc. Peccet.* (*lib. 1. Chirurg. c. 25. p. 127.*) Femoris humor pilorum globos, ranulas & piſa eum ſiliqvis abſcondidit *ap. Borell.* (*Cent. 2. obſ. 86. p. 179.*) Puella Duacenſis in tumore dorſi inſolito & exotico Bufonem aluit. (*Kircher. c. l. ſ. 3. c. 3. p. 308.*) Bufonem vivum ex abſceſſu exire propriis oculis vidit *D. Paul. de Sorbait* (*Dec. 2. M. C. Ann. 2. obſ. 103. p. 176.*); ranam viridem *Iſibord ab Amelunx.* (*Brev. rer. memor. c. 18. p. 97.*) De piſce è tumore digiti piſcatoris extracto *Borell.* (*Cent. 1. obſ. 28. p. 33.*)

§. 145.

De Phtiriaſi multa *alibi* (*l. 3. de mirac. mort. Tit. 1.*) recenſui. De

ſe ipſo

ſe ipſo *Th. Campanella* (*l. 2. d. ſenſu rerum c. 5. p. 57.*) ebuccinat: Se unum non producere pediculos; ac ipſi appoſitos aut fugere, aut citò perire. Pediculorum catervam ſub pericranio & inter cranii diploas latuiſſe *Theoph. Bonetus* (*lib. 1. Anat. Pract. ſ. 1. obſ. 115. p. 68.*) qvinimò ipſam calvariam exediſſe (*p. 70.*) annotavit. Favere autem non ſudorem tantum; ſed & ſangvinem humanum foedi illius agminis generationi *Borelli* (*cent. 3. obſ. 56. p. 236.*) teſtimonio conſtat. Vidit ille Chemicos, qvi ſangvinem humanum coctione in pediculos muſcasq; converterent. Idem de carne *Caſp. Schottus* (*l. 12. Phyſ. cur. c. 12. p. 1315.*) & *Hirnhaim* (*Typh. gen. hum. c. 9. n. 6. p. 102.*) Fuit, *ſcribunt*, qvi artocreata & farcimina ex humanis carnibus conficere ſolebat, qvæ cum aliqvando paucis ſervata diebus, pediculis ſcatere deprehenduntur, autorem ſceleris prodiderunt. Carnes in tineas tranſire prodidit *Becher.* (*Supplem. 2. th. 1. n. 8. p. 5.*) Puero cuidam ex univerſo corporis ambitu innumeri vermes, inſtar pennularum anſerinarum, ex cutis poris ſudoris loco prodierunt. (*Conr. Redecker. Deſcript. font. Bilfeld. Exempl. 8. p. 71.*) De vermibus mammillarum *Balduin. Ronſeus* (*Epiſt. med. 10.*) *Gvilh. Rondelet.* (*l. 18. de piſc. c. 25. ſ. 574.*), de verme ex umbilico *D. Boirel.* (*ap. Nic. Blegny. Zodiac. Gall. ann. 1. m. Jun. obſ. 3. p. 98.*) De verme propè ſpinam dorſi extracto *Joh. Pilas* (*Dec. 1. M. C. obſ. 109. p. 180.*) De dorſi vermibus *Exc. Vitus Riedlin.* (*obſ. med. 12. p. 72*), de morpione cuti adnato *Tulpius* (*l. 4. obſ. med. c. 17. p. 322.*), de vermibus in plantis pedum *Binninger.* (*Cent. 4. obſ. 8. p. 384.*)

§. 146.

Verè *Hiob.* (*c. 17. v. 14.*) Putredini dixi pater meus es, mater mea & ſoror mea vermibus. Philippus II. Rex Hiſpaniæ Phtiriaſi laborans (ex hujus ulceribus vermes, non pediculos, prodiiſſe *Emanuel Metteran. l. 19. hiſt. Belgic. p. 1185.* retulit, Eumq; *Jobo* comparavit) cum extremam vitæ ſuæ periodum imminere videret, accerſito filio Philippo & Iſabella filia corpuſculum ſuum

miſerabiliter putidum nudans, *referente Piaſecio (in Chronic. p. 163.)* ait: En mox futurum, imò jam factum, cadaver, nullus amplius locus humanæ eſt ſpei.

Mox cinis in tumulo fiet: totusq́ repentè,
Qvem modò velabat purpura, vermis erit.

Qvis in cadavere vermium numerabit genera & cohortes? Angvem ex medulla hominis gigni accepimus è multis, *memorat (l. 10. c. 66.) Plinius.* Hominis mortui ſpinæ medullam putreſcentem in ſerpentem converti ajunt, exoririq́; feram, & ſerpere animantem immanisſimam ex manſvetisſimo, *Ælianus (l. 1. Hiſt. anim. c. 51.) recitat.* Qvare *Pythagoras* Metempſychoſi ſuæ lucem fœneraturus *ap. Ovidium (l. 15. Metam. v 389.)* infit:

Sunt qvi, cum clauſo putrefacta eſt ſpina ſepulchro,
Mutari credant humanas angve medullas.

Nec medullam tantum, ſed totum corpus, putredinis auſpicio, in ſerpentes abire Caroli Martelli mauſoleum ſeu conditorium vacuum ſine cadavere inventum, & pro eo ſerpens, qvod *è Gagvino & Æmilio* ſuis inſeruit *Phil. Camerarius (l. 1. Op. ſubciſiv. c. 11. p. 73.).* Mediolani in æde B. Simpliciani cadaver hominis, *teſte Cardano (l. 1. de venen. c. 7. n. 10.)* repertum, in qvo bufones & ſerpentes geniti. Probat id hiſtoria Schleinitii, cui, in vivis dum erat, formæ nitor formoſi Schleinitii nomen conciliarat, qviq́; Hyacinthus aliqvis, aut Damocles, *ut loqvitur Drexelius, (l. 2. de cult. corp. c. 9. §. 6. p. m. 657.)* haberi poterat, *ap. Phil. Salmuth. (Cent. 3. obſ. 80. p. 152.)* qvæ forſan eadem cum illa *ap. Camerarium (c. l.)* narratione. Idem in Principe Hasſiæ ſpectatum, qvod Epitaphium ejus Marpurgi in Templo S. Eliſabethæ monſtrat. *(Conrad. Dieteric. in l. Sapient. c. 7. Conc. 2. p 705)* Et ſingularis legitur in hanc rem *ap. Pareum (l. 24. c. 10. p. 570.)* *ex Boiſtæo* de fabro qvodam Avenienſi, qvi cum

plum-

plumbeum feretrum, fideliter undiq; ferruminatum, recludere tentaſſet, in qvo cadaver jam diu poſitum fuerat, à ſerpente intus concluſo lethalem morſum accepit, ut parum abfuerat, qvin ab ictu moreretur. De ſerpentibus è peſte enectorum cadaveribus *M. J. C. Hahn* (*Gottes Hand und Geiſſel p. 56.*). Cur non igitur macellum ſepulchra, (*cum Drexelio c. l.*) diceres? è qvo carnes emunt eſurientes colubri. Idem de cancris perhibent. Chamberii, ut *è Jacobo Delexio* (*in Chorograph. Sabaud. p. 1. f. 2.*) *Heinr. Kornmann.* (*p. 3. de mir. mort. c. 30.*) allegat, in templo Franciſcano ſunt ſepulchra, qvæ internè cancros nutriunt.

§. 147.

Et hoc cadaveri terra obruto contigit, idem fatum aqvis injectum manet. Cum anno 1020. poſt fluviorum & Viſurgis inundationem aqvis decreſcentibus corpora hominum infinita inventa pium qvorundam ſtudium terræ mandare vellet, ſpiris ſerpentum ita implicata inter ſe fuerunt, ut nulla vi nulloq; ferro divelli poſſent, *ſcribit Georg. Fabric.* (*l. 1. Annal. Miſn. p. 86.*) Piſces etiam cadaver, in flumina projectum, imprimis fundulos, producere è piſcatoribus & ruſticis non ſemel audivi. *Adde Andr. Libav.* (*l. 6. Hexaëm. p. 515.*) Fundulum ſanè vivum minimi digiti longitudinem æqvantem vomitu rejecit fœmina, qvod (*Dec. 1. M. C. Ann. 3. obſ. 217. p. 415.*) notatum, alia piſcem ſex digitos longum (*Borell. Cent. 1. obſ. 9. p. 13.*) De piſcibus in veſica, utero & digiti tumore genitis vide §. 141. 144. & 150.

§. 148.

Etiam in culices, muſcas, tineas, bruchos & alia inſecta cadaver putreſcens mutatur. Cum ante annos aliqvot ubi Chemnicii Myſorum (fuit namq; meus in Phyſicatu Præanteceſſor) praxin exercerem, per literas *Sachſio Noſtro* ſignificabat *Præceptor meus celeb. Dn. D. Joh. Theod. Schenckius* (*Epiſt. Gammarol. adj. 7. p. 939.*) à qvæſtore loci iſtius rogarer, ut inſpicerem cadaver ruſtici

cujus-

cujusdam à Nobili qvodam ſclopeto trajectum, & qvod octo dies inter terræ viſcera delituerat, operculo ablato, tumba ſcatebat culicibus & muſcis minutisſimis, qvamvis nullam plane putredinis notam de ſe ſpiraret corpus, atq; operulum ſatis arctè tumbam concluderet, qvod ipſum etiam tanqvam inſolitum mirabantur loci incolæ. Qvem vero ego militem, ante qvatuor ſeptimanas tumbæ ferali concreditum, anno 1677. d. 18. Jun. juſſu magiſtratus Auguſtoburgi inſpexi, ſumma cum putredine militantem offendi, & muſcarum & termitum agmine obſitum & cinctum. In Sicilia, ſub ſervile bellum, cum ſangvinis multum, & inſepulta cadavera computruiſſent in terra, copia bruchorum erupit, qvi per totam Inſulam diſperſi frumentum corruperunt. (*Plutarch. lib. 2. Sympoſ. problem. 3. p. m. 193.*)

§. 149.

Partes hominis ignobiliores capilli, aut, ſi rectè (*l. 1. de mir. mort. Tit. 1. §. 32.*) divinavi, vegetabilia etiam in pullitiem verminoſam ſolvuntur. Vidit capillos innumeros mulieris animatos, & formam ſerpentum referentes *Borellus* (*Cent. 1. obſ. 23. p. 29.*) Qvod ſi verum, cur Meduſæos capillos ſtupuit ſaxea antiqvitas? ita jubam & caudam eqvi mortui in ſerpentes aliqvando, aliqvando in angvillas (angvicolas vocat *Th. Campanella l. 2. d. ſenſu rer. c. 5. p. 59.* qvi & fila & funiculos lineos intra tepentes aqvas in inſecta animalia tranſire vidit non ſemel) degenerare, comprimis ſi continuò in aqvis maceretur memoriæ proditum *à Joh. B. Porta* (*lib. 2. Mag. nat. c. 2. p. 52.*) *Rod. à Fonſeca* (*T. 1. conſult. med. 1. p. 3.*) *Steebio*, (*Cœl. Sephirot. c. 6. ſ. 1. n. 1229. p. 108.*) *Hirnhaim.* (*Typh. gen. hum. c. 9. n. 6. p. 101.*)

§. 150.

Nec mirabitur qviſpiam idem fatum excrementis obtingere. Scybala in muſcas ejusdem coloris tranſmutari nemini ignotum. Urina humana facile tranſit in pulices, ſi in ea macere-

ceretur ſtercus anſerum. (*Kircherus l. 3. mund. magnet. p. 3. c. 1. conſ. 2. p. 449.*) aut ſi calida pulveri miſceatur. (*Th. Campanella c. l. p. 57.*). Qvod qvomodo contingat miratur *Henric. Martinius* (*Anat. urin. Galen. Spagyr. c. 10. p. 221.*) qvod vermium generationem ſal urinæ impediat, & hoc *Paracelſo*, vermes Renum hac de cauſa dari permeganti, (*l. 2. Paragraph. p. 464*) placuiſſe videtur. Sed & ipſum ſal verminare *ſupra* (*Diſſert. hujus §. 119. p. 144*) demonſtratum. Qvid qvod ipſa hominis vivi veſica vermium ejusmodi ſit officina, & domicilium. De mictu vermium *Nicol. Tulpius*, (*l. 2. obſ. med. c. 50. p. 184. & c. 51. p. 185.*) Detinebatur hoc etiam *Cardanus*, qvod (*Comm. in ſ. 4. aph. Hipp. 76.*) fatetur. Filius Comitis Luxenburgi cum urina lacertulas ſatis magnas egerebat. (*Martin. Delrio l. 3. diſqviſ. mag. p. 1. qv. 4. ſ. 6. p. m. 134.*) In lue venerea effectorum urina innatant ſæpè animalcula formicis ſimilia. (*Joh. VVier. l. 3. de præſtig. Dæm. c. 15. p. m. 428.*) Idem in morbis contagioſis oppreſſis accidere *Caſp. Caldera de Heredia* (*Tribunal. mag. med. Stat. 12. artic. 1. p. 80.*) teſtis eſt. De muſca per urinam expulſa *Zacut.* (*l. 2. Prax. hiſt. admir. obſ. 110. p. 69.*) De piſciculo vivo (Gründling oder Elrizze) *Paulini* (*obſ. 56. p. 35.*) Plura *Joh. Schenck.* (*l. 3. obſ. med. p. 501.*) *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. hiſt. 89. p. 144. Cent. 4. hiſt. 72. p. 377. Vol. 5. Act. Hafn. obſ. 21. p. 83.*) *Oliger. Jacob.* (*ap. Eundem c. l. obſ. 105. p. 276.*) *Frid. Loſſius* (*l. 3. obſ. med. 58. p. 210.*) *Clariſſ. Noſt. Joh. Jacob. Harder.* (*Apiar. obſ. 98. p. 368.*) *Joh. Rhodius* (*Cent. 3. obſ. 35. & 36. p. 131. ſq.*) *Joh. Matthæus* (*obſ. med. caſ. 3. p. 130. ſq.*) *Felix Plater.* (*tr. 3. Prax. med. l. 2. c. 13. p. 964.*) *Rein. Solemander* (*ſ. 5. Conſil. med. 15. p. 488.*) *Sachſius.* (*Decad. 1. M. C. ann. 1. obſ. 5. p. 149.*) *Zodiac. Gallic.* (*ann. 4. m. Mart. obſ. 11. p. 97.*) *Henric. ab Heer.* (*Spadacren. c. 8. p. 67.*) *D. Joh. Avenius* (*M. C. Dec. 2. a. 7. obſ. 79. p. 143.*) *Magnif. D. D. L. Schrœck.* (*ibid. obſ. 255. p. 478.*).

§. 151.

Sangvinem menſtruum varia non ſolum continere mineralia (*l. 6. de Ulc. Gallic. c. 1. p. 282.*), ſed etiam materiam ſuggerere, è qva varii generis vermes provenire poſſint docuit *Paracelſus* (*tr. de Peſtil. p. 345.*) qvibus etiam junxit Baſiliſcum (*l. 1. d. mat. rer. p. 883.*)

 dum

dum ſcribit: Der Baſiliſcus wächſt und wird gebohren aus und von der gröſten Unreinigkeit der Weiber, nemlich aus den Menſtruis, und aus dem Blut Spermatis, ſo daſſelbe in ein Glas und Cucurbit gethan, in ventre eqvino putreficirt, in ſolcher putrefaction der Baſiliſcus gebohren wird. E guttis ſangvineis ex abſciſſo Meduſæ capite in Lybiæ arva ſtillantibus, & nimio climatis calore putreſcentibus Lybiæ ſerpentes, qvos deſcripſit, (*l.9. Pharſal.v.598.*) *Lucanus.* Sudoris progenies aliqvando eſſe cimices, muſcas, pulices, raro bufones *è Borello* (*Cent.3: obſ.50. p: 236.*) *Helmont.* (*tr. Arcana Paracelſi p.625.*) mures etiam ex eodem (*tr. imago ferm. impregn. maſſam ſemine. n.9. p.92. & Scholar. humoriſt. paſſiv. decept. c.1. n.65. p.797.*) conſtat.

§. 152.

E partibus corporis humani ſub terra defosſis, aut alio modo tractatis, an homo emerſurus ſit? qværeret Curioſus. *Lucianus* (*l.1. verar. hiſtor. c.10.*) narrat in regione lunari humanum genus reperiri, qvi dicuntur arborei, & hos naſci ex teſticulo præciſo, & humi, plantantium more, defoſſo. Fuiſſe, qvi ſvaviter ſibi perſvaderunt mediante fermentatione, vel qvo alio ſimili, aut magis peregrino labore, ex carne humana poſſe reſuſcitari homines teſtis eſt *Franciſc. Redi.* (*de generat. Inſect. p.53.*)

§. 153.

Singulare eſt, & miraculo proximum, qvod *Vincentius* (*l.25. Spec. hiſt. c.17.*) & *Cromerus* (*l.2. de reb. Polon. p.38. & l.4. p.380*) ſuggerunt: Ex cadaveribus patruorum Popieli junioris Regis Poloniæ, poculo medicato exanimatorum, putrefactis enati mures inuſitatæ magnitudinis, impium parricidam Popielum, cum ſcelerata uxore atq; liberis, fugientem qvoqvo verſus per aqvam flammamq; perſeqvuntur: nec clauſtra proſunt, aut abigentium præſidia. Ad extremum diffugientibus omnibus, abſumtis prius filiis,

filiis, deinde uxore, poſtremus ipſe infelix lenta morte in arce Cruswicia conſumitur.

§. 154.

In hiſtorias, obſervationes & exempla pronior, qvam fortè expectaveras, *Lector benevole*, hæc compilavi & retuli, cum qvod hæc curioſis non ingrata fore conſiderem, tum qvod à Viris doctisſimis citatorum metallorum, mineralium, lapidum, vegetabilium & animalium ortus genuina putredinis ſoboles ubiq; allegetur, & anomalæ generationis oſoribus, tanqvam è pharetra Achillis depromta tela, objiciantur. Ut igitur de ſingulorum veritate, qvippe, qvæ unicè hujus commentatiunculæ ſcopus & finis eſt, Philo-Phyſicis conſtet, paucis modum, qvomodo ſecundum æqvivocæ generationis Fautores illa contingat, declarare prius in animum induxi, epicriſin demum, ſub libertatis philoſophandi privilegio, modeſtè ſubjuncturus.

§. 155.

Abſit verò omnia hactenus recenſita mineralia, vegetabilia & animalia; ſpontanea, ut videntur, generatione producta, putrediuis fœtus, prout vulgò fieri conſvevit, ipſis concedam. Qvis e putredinis gremio metallorum lapidum & mineralium cunabula deducet, cum illa putredini non ſubjaceant? Qvibus accedit, qvod cauſæ externæ & æqvivocæ ſolitariæ, aut vis qvædam plaſtica per univerſum à fermentatione aut putredine agitata, anima & vita carentes, tam congruè & accuratè concurrere, & convenire neqveant, ut vegetabilium ſtamina, texturam, tubos, pulpas & reliqvas partes, tandemq; ovum ipſum, imò & admiranda animalium vitalia fabricent organa atq; machinas, qvarum ſtructuram nulla mentis acies comprehendere hactenus potuit, ut approbè *Nobiliſſ. D. D. Joh. Bohn.* (*Diſſ. Chymico-Phyſ. 10. §. 32.*) ratiocinatur. Dato, qvod ramulus arboris corpori animali infixus germinet, & excreſcat, putredinem nemo

hujus matrem ſalutabit, niſi cui transplantatio vegetabilium penitus incognita. Qvis poſt ſemen animalis, aut tenellum animalis vivi corpuſculum deglutitum animalis in corpore exiſtentiam & præſentiam putredinis in corpore conceptæ facultati imputabit? Separanda ſunt hæc & alia ab illis, qvæ videntur à putredine è putri cauſari, & his qvid veri ſubſit, in ſeqventibus diſſeram.

§. 156.

Non autem in cauſas putredinis, modumq; qvomodo corporis compages diſſolvatur prolixius inqviram, cum id alibi (*l. 3. de mirac. mort. Tit. 1.*) jam præſtiterim. Hoc ſaltem dico putredinem eſſe concreti aut miſti reſolutionem, partim à cauſis internis, partim externis concitatam. Notum namq; eſt in putredine miſti humidum à ſicco, & aqveum à terreo, diſcedere, & volatile à fixo, & ita miſti compagem diffringi. Deinde miſta diſſolvi qvatenus humida, cum nihil putreſcere poſſit niſi ſit humidum *ſecundum Zarabell. (l. 2. de miſt. gen. & inter. c. 5. col. 562.) & Sennert. (l. 3. Epit. nat. ſcient. c. 3. p. 258.)* aut extrinſecus affuſum humidum, ſeu aqvam ad penitiora admittit, qvod rectè addit *Exc. Joh. Bohnius (Diſſ. Chym. Phyſ. 9. §. 4.)*, ut adeò metalla, mineralia & lapides extra ſuas matrices, niſi marchaſitas qvasdam excipere placeat, putredini non ſubjaceant, ut iterum *laudatus Dn. D. Bohnius cum Williſio (tr. de Ferment. c. 8. p. 51.)* aſtruit. Ipſa tamen metalla & lapides putreſcibilia extra ſuos matrices dixit *Arnold. Senguerd, (l. 3. introduct. ad Phyſicam c. 7. p. 303.)* eò qvod ærugine corripiantur. Sed qvi metallorum per rubiginem corroſionem putredinem vocant, aut in notionibus imponendis valde luxuriant, aut craſſiorem Philoſophiam colunt accuratè iterum (*l. c. Diſſ. 10. §. 13.*) *Bohnius* judicat. Ut adeò omnia putreſcere excepto igne *juxta effatum Philoſophi (l. 4. Meteor. c. 1. p. 804.)* & absq; diſcrimine concludere non liceat, niſi de elementis ſolum *Philoſophi* ſententiam interpreteris.

§. 157.

§. 157.

Cauſæ diſſolutionis hujus ſunt in ipſo mixto, ſunt & extra mixtum. Si namq; cuilibet atomorum, ex qvibus mixta conſtant, innatam aliqvam ac inſeparabilem mobilitatem, vel potius motum aliqvem actualem, aut inqvietam aliqvam propenſionem ad illum cum Epicureis & Gaſſendiſtis aſcribas; conſonum rationi eſt, optimè ſic judicante *illuſtri Rob. Boyleo (tr. de abſoluta qviete in corpor. ſ. 2. p. 8.)*; qvod qvanqvam in concretionibus ita ſibi implicentur, ut exiguo temporis ſpatio, aut modo viſibili, expedire ſe ab ipſo nexu neqveant; nihilominus tamen è vinculis ſe liberare atq; evolare annitantur: Qva ratione ſemper in ſolidorum corporum atomis, ac qvalibet illarum actualis aliqvis à qviete ſe extricandi conatus eſt, (qvi conatus tandem in effectum deducitur, unde deſtructio & interitus corporum eſt.) cum interea perpetui iſti ac contrarii niſus inteſtinos motus producant in internis corporis partibus, qvibus atomi iſtæ, qvaſi captivæ, detinebantur. Facilius id accidit, ſi laxiora repagula concreto contigerint, & partium componentium heterogeneitas ſive ſubcontrarietas ſubſit. Vid. iterum *Bohnius (Diſſ. 9. §. 1. 3. 6. & 7. & Diſſ. 10. & 12.)* Motum hunc velociſſimum & impetuoſiſſimum calor putreſcentis concreti, tanqvam ſignum indubitatum, arguit. *(Diſſ. 10. §. 10. & 19.)* Qvæ de atomis ſuis Epicurei, eadem de ſuis principiis Chemici, qvod præter alios *Th. Williſius (c. l. p. 50.)* eleganter demonſtravit. Nec ipſis Peripateticis forſan internus hic motus, & hæc reſolutio atomica nauſeam movebit ac bilem.

§. 158.

Accedunt cauſæ externæ ſtimulantes, moventes. Carteſiani materiam primi elementi, ſubtilem etiam dictam, conſtanter fluminis inſtar vel ſolidiſſimorum corporum poros tranſire dictitant, eandemq; omnium phænomenorum totius

 uni-

univerſi cauſam motricem proclamant, ita ut ab eadem omnium rerum vicisſitudo & mutabilitas dependeat. (*Theodor. Craan. Diſſ. Phyſ. med. d. Hom. c. 5. p. 33. & c. 16. p. 138.*) Credi poteſt, *divinat* (*c. l. p. 9.*) *Boyle*, hanc tranſitu ſuo concutere, aut alio qvodam modo agitare inſenſibiles particulas conſtituentes, qvæ qvieſcere videntur, ut motus ille oculis non pateat. Nec ſine aëris externi impulſu fermentatio aut putrefactio contingit. (*Dn. D. Bohn. Diſſ. 9. § 18. & Diſſ. 10. §. 9. & 17.*) Cum namq; hujus particulæ ſint in continua agitatione, ut *Boyle* (*p. 1. Hiſt. fluid. & firm. ſ. 21. p. 42.*), proin neceſſe eſt: (1) illum qvælibet corpora ipſius occurſui expoſita, & qvæ continuam ejus alliſionem ſuſtinent, aut horum particulas commovere atq; exagitare, id eſt, eorum ſitum & texturam mutare. (2) Concretorum integrorum & ſenſibiliorum partes exagitare, hoc eſt, ratione atomorum ſuarum diſparis figuræ & ſoliditatis illorum, qvibus conſtant, moleculas continuo diſſolvere, & deprædari. Hinc (3) qvemadmodum motus corporum à craſſioribus moventibus excitati v. g. mortarii & piſtilli ſufficiunt pro compage illorum laxanda, & eorum minimis primis pariter atq; ſecundis diſcontinuandis: Sic exiliora aëris corpuſcula particulas illas concretorum identidem ferientia non poſſunt non continua hac qvaſi affrictione aliqvid ab his detergere, illudq; ſecum in motum ciere; à ſuperficialibus citius, à profundioribus tardius. (*Bohn. Meditat. de aëris in ſublun. infl. c. 5. p. 104. ſq.*) Solo igitur motu aër, qvod præſtat, præſtat, ut ad aëris menſtrualem virtutem cum *Beckio* (*Exper. circa nat. rer. princ. p. 156.*), aut penetrativas & ſcisſiles ejus qvalitates, qvæ propria ſunt diſſolventis, *cum Gvilh. Clarken.* (*hiſt. Nitr. c. 2. p. 28.*), aut particulas ejus ſalinas & acidas, *cum Theod. Craanen*, (*c. l. p. 24.*) confugere neceſſum non habeamus. Ideò qvæ aëris affluxui obicem ponunt, putredinem qvamcunq; arcent, nec in vacuo vaſe, aëre exhauſto, eadem fit, qvod qvamvis expugnare *Mariotte*

(*de la*

(*de la naturell. de l' air*) auſus fuerit, ſufficienter tamen huic reſpondit *ſæpius laudatus Bohnius.* (*Diſſ. Chym. Phyſ. 4. §. 8. & Diſſ. 10. §. 17.*)

§. 159.

Velificatur huic imprimis aëris humiditas & calor, hic namq; internum calorem (ſeu ſpiritum) intendit, & poros dilatando, ut in auras exeat, in cauſa eſt, cui calor putredinalis ſuccedit. Ita in Peripato diſſeritur. Chemici & hunc magni æſtimant, ideoq; ventri eqvino mixta includunt, & pro diverſitate caloris diverſa producta in apricum emergere *Paracelſi* (*tr. de Therm. Piperin. p. 1118.*) ſententia eſt. Auget & excitat hic aëris incluſi elaterem, ut ſe magis explicare, liqvores impetuoſius commovere & exagitare valeat. *Conf. Bohn.* (*Diſſ. 10. §. 12. & 21.*)

§. 160.

Sed annon fermentationi & putredini, qvibus vegetabilium corpora, putredini verò ſoli animalia auſcultant, tanqvam diſſolutionis actibus nova qvædam continget aut ſuccedet partium combinatio, ex qva tandem animalium proventus? Si *Ariſtotelem & Ejus Interpretes* audias, ſimplici generationi contrarium maxime commune eſt putrefactio. (*Vid. lib. 4. Meteor. c. 1. p. 804. & l. 5. Phyſ. c. 1. t. 9. p. 521. add. Franciſc. Piccolhom. l. de putred. c. 2. p. 969.*) Generatio namq; eſt ex non ente in ens; corruptio contra ex ente in non ens. (*Ariſt. l. 2. de gen. anim. c. 6. p. 1260.*) Putredo igitur ſola nullam ſpeciem producere poteſt, concludit *Sennert.* (*de morb. infant. p. 2. c. 5. p. 35.*), & ſi qvid omnino ad generationem facit, non facit id qvatenus putredo, ſed qvatenus cum ea calor qvidam benignus, à qvo vis ſeminalis oritur. Qvod igitur concretum diſſolvit, illud non uniet. Fatetur tamen, ut ex dictis patet, ex putri plurima generari animantia. Modum talem (*l. d. ortis è putri c. 2. p. 1009.*) proponit *Piccolhomineus*: Materia proxima genitorum ex putri eſt humor ille rei putreſcentis, qvi primo à proprio calore mixti terminabatur, mox verò deſtitutus termino labitur & effunditur, hic ſi congruenter à calore ſuperſtite coqvitur, adeò, ut calor ille, qvi primò erat alienus mixto putrefaciendo, & jam putrefacto reddatur proprius &

con-

congruens alicui animali gignendo, tunc animal illud gignitur. Caloris nativi reliqviis hoc productum aſcripſit *Hieron. Mercurialis* (*l. 1. de morb. cutan. c. 7. p. 64.*), ex cujus mente calor putredinalis adjuvantis vice fungitur, idem *Th. Campanella* (*l. 2. de ſenſu rerum. c. 5. p. 58.*), qvi ex generatione vermium in cadavere ſenſum & calorem supereſſe contendit. (*l. 4. c. 9. p. 297.*) Calorem cœleſtem ſeu ſolarem adjungit *Ariſtoteles*, qvod pluribus explicat *Mart. Weinrich.* (*p. 1. de monſtr. c. 12. ſ. 103. a.*)

§. 161.

Cum verò calor uterq; operi huic perficiendo non ſufficiat, dum partes ſaltem ſeparat, non transmutat, *ſecundum Helmont.* (*tr. imago ferm. impr. maſſ. ſem. n. 5. pag. 91.*) neq; formæ introductio, totiusq; animalis elaboratio, ſimplicem unius caloris actionem ſeqvi poſſe videatur, ſed ex provida qvadam actione cujusdam opificis cum diſcurſu & prudentia operantis pendere, mens ulterius, præter calorem, aliud qviddam agens cogitur inqvirere, qvod, cum conſilio & delectu, ſingula in animalis fabrica diſponat ac moderetur. Præficit igitur & his animalibus generandis eandem mentem, qvæ grandioribus gignendis præeſt. Et hoc ita ſe habere patet, qvia pediculi & alia animalcula, qvod ex humore excrementicio ſunt, ejusdem ſpeciei exiſtunt cum iis, (imò & generant) qvi è propagine nati, ita *Joh. Thom. Minadous* (*l. 2. de corp. hum. turpitud. c. 9.*) ratiocinatur.

§. 162.

Chemici, &, qvi inter hos nomen magnum, *Th. Willifius* (*de Fermentat. c. 7. p. 50.*), qviq; ſua debet *Willifio Tilling.* (*Disqviſit. Phyſ. med. de Ferment. cap. 8. qv. 5. p. 150.*), vermes è putredine gigni aſſeruit; dum principia activa, ſeu ſpiritus ſulphuris & ſalis copioſè erumpunt, & in ſuperficie cadaveris iterum combinantur. *Helmontii* mentem *ſupra* (*Diſſ. h. §. 46. p. 85.*) prolatam invenies.

§. 163.

Corpuſculares & Carteſiani & hic ſuum acumen propalant. Vermes in fructibus à transpoſitione partium & motu derivat *Robert. Boyle.* (*hiſt. fluid. & firm. ſ. 28. p. 59.*) Nec, cum res corrumpitur, aut putreſcit, aliqva perit ſubſtantia: ſed partes certo qvodam modo, antea connexæ, divelluntur, & ſæpè alia ineunt connubia, philoſophatur

phatur *J. B. du Hamel* (*l. 1. de corp. aff. c. 2. n. 4. p. 16.*) Et qvamdiu eundem inter ſe ſervant ordinem partes minutæ, *pergit* (*l. 2. de conſenſu vet. & nov. philoſ. n. 7. p. 663.*) ex qvibus res qvæq; componitur, tum res ipſa ne altera qvidem videtur. At ſi particularum variatur contextus, ſive novarum acceſſu aliæ ab aliis divellantur; ſeu econtrà magis arctentur, aut qvocunq; alio modo à priſtina ſerie & poſitione receſſerint, tum ſane, aut alterationem, aut corruptionem nobis ſubire videntur. Ideoq; putrefactionem non privationem volatilium concreti partium, ſed modificationem pronunciavit *ingenio pariter & judicio accurato pollens* (*Diſſert. Chymic. 10. §. 11.*) *Bohnius.* Atomi igitur in corruptione etiam immutabiles, qvod *G. B. de Saint. Romain.* (*p. 3. Phyſ. c. 3. p. 218.*) his illuſtrat: Certum eſt, *inqvit*, literas numero viginti qvatuor omnium vocum, dictionum, diſcurſuum, imò librorum compoſitionem ſuppeditare. Et qvemadmodum voces, dictiones, ſyllabæ, diſcurſus, ipſiq; libri mutantur invariatis literis; ſic etiam compoſita majora mutantur & corrumpuntur atomis immutatis, & iisdem manentibus, nihil novi illis evenit, niſi qvod non ſint amplius partes compoſiti unius, ſed fiant ſecundi, tertii, aliorumq; ſucceſsivè, ad mundi finem usq; cum omnes generationes corruptionesq; & motus in rerum materia ceſſabunt. Ita, *juxta Ariſtotelem* (*l. 1. de gen. & corrupt. c. 2. t. 6. p. 685.*) ex iisdem Tragœdia & Comœdia fit literis. Si in diſpoſitorem & modificatorem harum particularum inqviras, motum materiæ ſubtilis actorem conſtituunt. *Vid. Hamel.* (*c. l.*) & *Anton. le Grand,* (*p. 8. Hiſt. nat. art. 1. n. 1. p. 352.*)

§. 164.

Verum & hæc ſententia noſtro tempore experimentalis philoſophiæ cultoribus ſuſpecta eſt, & ſpontanea, disſimilaris & æqvivoca generatio illis Chimericum qvid videtur. Negant igitur pernegantq; è putrido qvid gigni, ſed ſi ex eò vivum ali-

qvod, ſive vegetale, ſeu animale, proveniat illud proprio ſpecificoq; ſuo ſemini ſuam debere originem mecum exiſtimant. Qvodſi igitur in locis inſolitis, v. g. in nubibus, in aëre, in vegetabilibus, & animalibus metalla, mineralia & lapides, exhalationes eorum ſeminales illis communicatas ediſſerunt. Si in ſaxis, petroſis locis, turribus, ſtatuis, muris, in vegetabilibus & animalibus vegetabilia conſpiciantur, per ventos, & volucres eò delata ſemina colligunt, & ab animalibus deglutita concludunt. Pari modo in aqvis, ſtagnis & piſcinis voraces piſces & angvillas invenias, qvorum ſperma anates ſylveſtres &c. deglutierunt, & per infimum guttur aqvis reddunt, qvid qvod & alis & pennis earum aliqvando tanqvam viſcoſum qvid adhæreat, & ita in alia loca transportetur.

§. 165.

Inſectum nullum ex putrido propupullare audacter pronunciant *Fr. Redi. Joh. Schvvammerdammius & Stephanus Blanckard viri perſpicaces, & circa inſectorum generationem occupatisſimi,* ſed omne ex proprio & ſpecifico, putrido illato, ſemine. Inter hos Fr. Redi, (*de gener. inſect. p. 46. ſq.*) medio menſe Julio in lagenas qvatuor orificii amplioris miſit ſerpentem unum, piſces aliqvot fluviatiles, angvillas Arni fluminis qvatuor, & fruſtum lactantis vitulinæ; occluſisq; poſteà & optimè obſignatis charta & funiculo orificiis, in lagenas qvasq; tantundem prædictarum rerum demiſit, non occluſis orificiis: nec multum temporis abiit, qvin piſces & carnes horum vaſorum reliqvæ verminare incipiunt, muſcis, cum luberet, intrantibus & exeuntibus. At verò in lagenis occluſis nullum unqvam vermem natum vidit, ex qvo cadavera inſerta erant. Idem experimento comprobat *Blanckard. (Schauplazz der Raupen, VVürmer, Maden und fliegenden Thiere. c. 1. n. 2. p. 2.)* Et ne qvid intentatum præter mitteret *Redi (c. l. p. 49.)* non ſemel aliqvot fruſta car-

ſta carnis ſub terra ſepeliri, & humo optimè contegi curavit, nullis unqvam poſt plurium ſeptimanarum in terra moram generatis vermibus; cum carnes reliqvæ omnes, in qvibus muſcæ deſederant, vermes produxiſſent.

§. 166.

Ovula igitur ab animalculis putrido inferri, putreſcensq; aut putridum nidum his ſaltem largiri & nutrimentum, in qvo excludantur ova & vermiculi excluſi nutriantur, grandeſcant & in muſcas &c. convertantur, inferunt. *Conf. Exc. Bohn.* (*Diſſ. Chym. 10. §. 21. & 22.*) Qvin imò in ipſa brutorum excrementa inſecta ſua deponere ova, exemplo ſcarabæi pilularis multi confirmant.

§. 167.

Qvod ſi de animalculis in humoribus, viſceribus & cavitatibus vivorum animalium ſollicitus qvis ſit, difficultatem iſtam ut averruncaret *Theod. Craane* (*Diſſertat. Phyſ. med. de Hom. c. 10. p. 83.*) ſupponit: Dari ova per aërem volitantia, idq; ex eò probat, qvod dentur inſecta tam exigua, ut non incurrant in ſenſus, niſi oculus microſcopio muniatur. Hæc ova ingrediuntur, *pergit*, cum aëre poros carnis, lacticiniornm, potus, & ſimilium alimentorum, & cum ipſo aëre inſpirantur, & ſangvini communicantur: vel in pulmonibus hærent, vel ad varias corporis partes propelluntur, atq; in iis accedente majori calore animalcula ex iisdem excluduntur. Scripſit olim (*l. 1. de R. R. c. 12.*) *Varro*, in locis paluſtribus animalia qvædam minuta creſcere, qvæ non posſint oculi conſeqvi, & qvæ per aëra intus in corpus per os ac nares perveniant, efficiantq; difficiles morbos. Qvam fœcundus fœdisſima pediculorum ſobole ſit aër Hungaricus atteſtantur, qvi viderunt & experti ſunt, linteolum aqva, ſtagnanti præſertim, lotum, & ad Solem ſiccandi cauſa expoſitum, mox totum vermibus Syllanis ſcaturire. Et laterem lavant, qvi crebris induſiorum mutationibus pediculorum contubernium ſubterfugere conantur, cum illo modo ſemper plures attrahant, qvam pellant. Hæc (*Orat. contra Hungar. p. m. 433.*) *Thom. Lanſius* è *Tob. Cobero* (*Dec. 1. obſ. Caſtr. 9. p. 49.*)

§. 168.

Ovula iſta in ſtomachum recepta & ad inteſtina transmiſſa unà cum chylo per lacteas ad ipſum cor, & tandem carnem ipſam progredi poſſe ſi qvis dubitaret, *Scaligeri* obſervatio, qva arenam ingeſtam ad corporis peripheriam transiiſſe notat, illum convinceret. Ita verò (*comm. in l. 1. de Plantis p. 81.*) *omnis eruditionis Promus Condus*: Perdices in ea parte Vaſconiæ, cujus ager ſabuloſus eſt, eſitavi. Offenſi ſunt dentes, inter mandendum, lapillorum duritia. Primum ibi cum miſero coqvo putata eſt ratio ejus operæ, non ſine jurgio. Ille negare. Atq; ut innocentiam ſecuriorem fecerat ſui conſcia ſedulitas, repoſcit alam ac momordit. Illicò tantundem cauſatus, ſectam intus oſtendit lucidisſimis arenæ grumulis differtam. Addunt alii pediculos ova ſua cutis poris ingerere, ut calore animentur, cumq; infantibus ſit mollior & poroſior cutis, eosdem crebrius turpi hoc agmine infeſtari, ut phtiriaſi laborare videantur. Superaddam huic præſuppoſito mea cogitata. Hoc ſi verum eſt phtiriaſis perpetuæ cauſa in propatulo eſt. Dum namq; ovis poris illatis, pediculus excluditur, ut usq; ad debitum incrementum ibidem hæreat, & intolerabilem illum pruritum excitet, aut ova exiens poſt ſe relinqvit in utero, aut ſi coïtu illa, fœcundada, illa facto poſt egreſſum coïtu, in poros dilatatos reponit. Clarius id patere in Cervo arbitror, cujꝰ poris cutaneis autumnali tempore inſectū aliqvod ova inſinuat, ex qvibus hyeme vermes (die Engerlein) emergunt, qvi verè adventante in inſecta volatilia transmutati cutim perforantes auras petunt.

§. 169.

De productione inſectorum in Gallis, folliculis, ſpongiolis, & villoſis tuberculis plantarum ſeqventia *Marcell. Malpighius* (*Anat. Plant. Id. p. 10.*). Admodum incertum hactenus evulgata me reddunt, qvibus animalia ab arboribus & herbis in gallis, veluti uteris, gigni docemur, cum mihi obſervatorum ſeries conjectandi anſam præbeat gallas & ſimilia nidum eſſe ejecti illuc ovi, vel vermiculi à parente animali, neqvaqvam verò à planta. Evidens namq; eſt ex araneorum folliculo, ova continente, concavum reddi ſubjectum folium qvercus: In vite verò, qvercu & ſimilibus ex ejecto vitellino muſcarum ovo ita circa ipſum contorqvetur folium in ſpiram, ut totum in globulum

bulum deſinat. In aliis reflectitur denticulati folii extremitas: & parum craſſeſcens ovum ibi cubatum fovet. Nec ſola foliorum moles, (*pergit p. 11.*) animalibus nidum præbet, ſed & lignea ejusdem pediculi portio, in populo præcipuè, contorti & aucti concavitatem muſcis efformat. Tenellus pariter ſurculus in qvercu concavus redditus nidum & pabulum condito animali exhibet, & rubi exiguus ſurculus coacervato, ſeu potius impedito ſucci effluvio in ovalem tumorem dum excreſcit, incluſum ſervat ovum, & recepti primò ovi cicatricem perpetuo ſervat. Freqventius verò ova in germinibus conduntur; qvare in qvercu interdum expanſa & adaucta germinis foliola in ſui medio aureliam ligneo nido incluſam ſtipant: In aliis non adauctis gemmæ foliolis futuri ſurculi alimonia circa ovum contorqventur, & fit Galla, qvæ qvaſi coronata interdum efficitur, nonnunqvam appendices corniculatas promit. Tandem in rubo canino, qvercu & ſimilibus, ex germinum affluente ſucco, fit folliculus, cum ramorum & foliorum inchoamento. Et poſtremo non ſolis foliis, ſurculis & germinibus datum eſt ova fovere, ſed & fructuum corticibus & pericarpiis; unde inſignes qvasdam miratus ſum excreſcentias, foliorum formas ruditer æmulantes, à cortice glandis pendentes, qvibus ovum cuſtodiebatur. Plures easq; egregias de plantarum diverſarum Gallis obſervationes deſcripſit & depinxit *idem* (*part. 2. de Anat. Plant. p. 17. & ſq.*). Concludit tandem (*p. 39.*) Erunt gallæ & reliqvi plantarum tumores morboſæ excreſcentiæ vi depoſiti ovi à turbata plantarum compage, & vitiato humorum motu excitatæ, qvibus incluſa ova & animalcula, velut in utero, foventur & augentur, donec manifeſtatis firmatisq; propriis partibus qvaſi exoriantur, novam exoptantia auram.

§. 170.

Ex diverſitate ovorum diverſis præterea vegetantium uteris ova inſectorum credi *venerandus Malpighius* (*c. l. p. 36.*) curioſè animadvertit. Qvæ enim, *inqvit*, robuſto cortice muniuntur, & alimoniam unà cum animali claudunt, qvacunq; arborum parte, etiam tabefacta, opportunè cuſtodiuntur; unde in pluribus fruticibus & arboribus, præcipuè in ulmo & virga ſangvinea (etiam arida), ovorum congeriem turmatim locatorum hærentem vidit; à qvorum duro &

perforato cortice contenta olim eruperant animalia. Qvæ verò molliora ſunt, in foliis ipſis deponuntur: vel ſi copioſius exigant humidum, majoremq; tutelam, intra gemmæ tenellum corpus; intra ſurculos, flores, amentum, pericarpium, ſemina, lignum, radices, & ſingulas ferè vegetantium partes conduntur ope terebræ, qva Gallarum muſcæ præ reliqvis pollent. Qvid fit? qværit *Theod. Craan c. l. p. 85.*) & reſpondet: Fructus cum tempore matureſcit, & undiqvaq; accreſcit, ova illic detinentur, & tamdiu illic permanent immutabilia, donec accedente calore apta redduntur ad ſui ſpeciei productionem; & ſic mediante calore, & adventu certæ materiæ primi elementi, vermes excluduntur in meditullio fructus, nullo foraminulo in cortice fructus apparente. Viam *Malpighio* monſtrare potuit *P. Gaſſendus à Franciſco Redi* (*de generat. inſect. p. 232.*) *citatus.* Terebram iſtam paulò poſt, & antea (*p. 34.*) eleganter deſcripſit *Malpighius.*

§. 171.

Inter ſemina piſa ſervili huic verminationis negotio ſubjacent, & lenticulæ cum aliis leguminibus, & cum fabæ arefactæ & repoſitæ vermem in muſcam tranſientem foveant & excludant, eidem tenellæ ovum illud à terebrante muſcæ aculeo infixum fuiſſe ſuſpicio eſt. Notabile eſt illud *Borelli* (*Cent. 3. obſ. 54. p. 238.*) de tamariſci & filicis ſeminibus motu præditis, & ſaltibus crebris à menſa decidentibus, qvibus apertis invenit vermiculos, qvi inſtar illorum caſei & aſcaridum arcum è corpore facientes ſuo ſaltitabant. Qvod ſi verò per annum & ultra repoſita in conditoriis legumina iſta & ſemina, & tum demum verminare incipiant, ovis à curculionum & aliorum inſectorum turba exeſo prius germine ibidem repoſitis imputandum. Ut ideò non admittenda ſit *Theophraſti* (*l. 4. de cauſ. plant. c. 16. p. m. 210.*) *ſententia*, ſingula ſemina pro ſuo humore peculiare animal creare, niſi pro τὸ creare, nutrire ſupponas. Ictu ſubtili pulpoſæ pomorum, pyrorum, ceraſorum & prunorum carni communicari ovula, teſtari poterit qvæ etiam in avellana verminante in conſpectum venit cicatricula.

§. 172.

Alium adhuc modum, qvi tamen non ita facilè, ut priores, aſſenſum Doctorũ feret, *laudatus Craane* (*c. l. p. 84.*). habet Videmus, *inqvit,*

inqvit, ſæpè numero vermes in intimis & abditis fructuum qvorundam hærentes, cum externè nullum appareat foraminulum, per qvod ingrederentur, nonne reqviritur ut ova volatilia cum cœtero aëre tranſeant poros foras intrò ſpectantes ipſorum fructuum, & ibi hærendo fortè fortuna propter pororum intrò foras ſpectantium aliqvam conſtitutionem, non transmittentium illas particulas, qvæ foras intrò acceſſerunt, atq; ita accedente calore majore, vermis ex ovo excluditur.

§. 173.

Egregia hæc ſunt e x ipſo natura latifundio, veritatisq; puteo hauſta, qvæ tamen & ſuos patiuntur manes, nec omnes difficultatum expediunt mæandros, & ideo curioſorum adhuc præſtolantur lucem. Expoſui cauſas in literis *ad Magnificum noſtrum Schrœckium* Auguſtam Vindelicorum datis, qvas (*M.C. Decad. 2. Ann. 8. obſ. 157. p. 345.*) exhibet, easq; cum huc ſpectent denuò cum actuario exhibere eſt animus. Dari vermes in aëre inviſibiles non repugno, ſi de vermibus adhuc tenellis, & ex ovo modo excluſis loqvaris, qvi demũ grandiores facti viſũ apprehenduntur. Et horum ova obtutũ noſtrũ fugientia etiam in aëre volare & reſpirationis auxilio in cavitates corporis venas & arterias attrahi poſſe, haud inficior. Vermiculos autem ita ſubtiles in hac univerſitate reperiri, qvi ubi debitam molem acqviſiverunt adhuc oculorum aciem ſubterfugiant, dubius hæreo. Cui bono corpus inviſibile? qvale corpus phyſicum erit, qvod ſenſu non apprehenditur. Σκωλήκιον illud ἀκαρὶ in cera vetuſta *teſte Ariſtotele (l. 5. hiſt. anim. c. 32. p. 955.)* gignitur, qvod omnium animalium eſſe minimum exiſtimatur. Acaros caſearios, & qvi ſcabioſos infeſtant atomos aut puncta animalis potius dixeris qvam animal, qvorum oculo armato conſpectam figuram exhibet *Auguſt. Hauptmann. (Epiſt. ad Kircher. tr. d. Therm. Wolkenſtein. inſert. p. 200.)* qvamvis urſo prorſus ſimile illud apparuerit *Kirchero (Sect. 1. ſcruti-*

tin.

tin. Peſt. c. 7. S. 1. exp. 4. p. 74.), hiſtrici verò *Borello* (*obſ. microſcop. 21.*) Et hos ex ovis generari niſi Microſcopium in ſubſidium voceтur, inconſpicuis nullus ambigo, cum vir qvidam ingenioſus *Rob. Boyleum* id edocuerit (*tr. de mira ſubtil. Effluv. c. 3. p. 66.*) Addendum huic cenſeo vermiculorum in carie lignorum latentium pullulaginem, qvorum nonnulli, ſi microſcopii fidem ſeqvaris, corniculis inſtructi, qvidam alatum qvid affectant, aliqvi polipodii vermibus teſtimonio *Kircheri* (*c. l. p. 73.*) non abſimiles repeiuntur. Aëris motum hæc ova aut animalia ſeqvi, Fila illa, qvæ Divæ Virginis vocantur, & à qvibusdam pro meteoro terraqveo habentur, abundè evincunt, qvippe qvæ horum animalculorum producta, &, ſi rectè hariolor eorundem, aut ovulorum domicilia. Illuſtrat hanc ſuſpicionem egregia illa *Dn. D. Rodochſ.* (*præfat. in Theatr. Verm. & Eruc. Blancardi*) obſervatio, meamq; confirmat mentem qvàm dudum (*M. C. Dec. 1. Ann. 1. obſ. 120. p. 278.*) & in literis de pluvia ſericea Numburgenſi olim *ad illuſtrem, nunc Beatum, Dn. D. Fehrium* aperui. Erucarum maximam generationem ex iſto lentore verno ſeqvi ideò qvidam *teſtante id. Wilh. Daviſſonio* (*prodr. comm. in med.* *P. Severin.* (*c. 6. artic. 3. p. 227.*) augurantur, qvi & infinitas parvas muſcas ex exuviis iſtis villoſo, lanuginoſo, albo & filamentoſo ſerico non abſimilibus nictu oculi propemodum generatos egregia obſervatione ante (*p. 226.*) docuerat.

§. 174.

Detur hoc, ſed tamen vermes & ova illa cum alimentis abſorbta, aut reſpiratione attracta & viſceribus impacta, aut humoribus imò & excrementis viſcidis mixta molem ſolennem non excedent adeoq; ſenſatis Philoſophis ſi non riſum, dubium ſaltem movebunt, nec in lumbricos inteſtinorum aut aliarum cavitatum inqvilinos verminoſos conſpicuos tranſibunt. Ut non dicam hac ratione corpora noſtra brevi rempore innumero-

merarum beſtiolarum futura diverſoria, neminemque mortalium ab hac lue fore exemtum.

§. 175.

Reponis vermem illum corylinum, qui lacte nutritus in ſerpentem mutabatur, *cujus* hiſtoriam *c. l.* §. *133. p. 158.* retuli, cui jungenda *Th. Bartholini* (*Act. Hafn. Vol. 1. obſ. 3. p. 11.*) relatio, quæ ita habet: Holbecæ mulier mihi pro veriſſima re narravit, Patrem aliquando, devorato fortè vermiculo nucis avellanæ, intumuiſſe quaſi prægnantem, magniſque ſenſim obortis doloribus, præſertim poſt eſum dulcium, tandem impatientia dolorum, & quia diutius tumidum ventrem geſtare non poſſet, â Medico Sorano ſectum, ſectione cæſarea prodiiſſe vermem illum grandem porcelli magnitudine, jubis ornatum, & poſt deinde ſupervixiſſe octo dies, conqveſtus qvòd de ſectione ante non cogitaſſet. Primam illam fide laborare (c. l.) dixi, nec poſteriorem illam illâ certiorem habeo, cum illi fidem ſuam non interponat *ipſe Bartholinus*, quippe qvi præſens non fuit, vel ſi præſens fuiſſet difficilè oculis credidiſſet. Narrata, *præfatur*, narro, credat qui volet. De culice Titi multa collegit *eximius ille Polyhiſtor Sam. Bochartus* (*T. 2. l. 4. Hierozoic. c. 17. col. 568.* Impius Titus domum ſanctuarii ingreſſus dixit, nullus eſt hoſtis aut adverſarius, qui poſſit coram me conſiſtere. Qvid fecit Deus Sanctus Benedictus? Miſit in eum culicem unum, qvi nares ejus ſubiens usque ad cerebrum penetravit, & factus eſt ut Columbæ pullus duarum librarum, ut doceret potentiam ejus nihil quicquam eſſe.

§. 176.

Addis ova in corpore tranſmutari, ut idea ſua naturali priventur, locique fermento novo ſigillentur ſymbolo, aut animalia excluſa multum alterari, annonæque ubertate grandiora evadere. Credam id demum, ubi prius

ideam in ovo à ſpiritibus in futuram machinam fabricatam transſmutari poſſe in aliam videro, ſunt namque transſmutationes iſtæ inter non entia jure reponendæ, ut in ſeqventibus docetur, & id, qvod vulgò in aliud mutari proditur, ut plurimum in deterius abit. Imaginatio aut phantaſiæ virtus fruſtrà hic operam ſuam locabit, cum alterius ſcenæ actores ſint inſecta, & monſtroſum potius qvid, qvàm nova ſpecies. Credat cui lubido eſt *Alexandro de inſula (Brevſiar. rer. men. c. 41. p. 206.)* milvos ex ovis gallinaceis, ob gallinam incubantem à prætervolante milvo freqventer territam, excluſos fuiſſe, ego ut credam me vix adigi patiar. Nec poſterius quicqvam evincet, cum alimenti ubertas molem & magnitudinem mutet, non ſpeciem, qvamvis & hoc alendo corpori proportionatum & conveniens eſſe debeat, tale autem in corpore noſtro, inſectorum iſtorum ſi conſtitutionem attendas, reperiri facilius affirmatur, qvam demonſtratur. Nec iſta magnitudinis deſtinatæ terminum, non ſecus ac alia bruta, facilè transgredi, utut copioſiſſimum adſit alimentum, patet, qvia appetitui, quando ſatisfactum ſentiunt, in hominis opprobrium, alimenta reliqua, natura inſtigante, faſtidiunt. Nec voracia animalia, qualia lupus, canis, hyæna ſolennem molis circulum excedere hactenus obſervatum.

§. 177.

Et qvis non crederet inſpirata aut abſorpta ova à continua humorum corporis agitatione, fermentatione, conflictu, ab alimentorum ingeſtorum acidis, auſteris, ſalinis, amaris & aliis ſaporibus, eorumque calore affici, obrui, animalque, qvod intra ſe fovent, tandem perimi. Si quid eſt qvod inſectorum proventui maximè obſtat, nimia humiditas eſt, qvæ excedens eorum ova reddit fatua, qvod vel inſita inſectorum prudentia & ſagacitas teſtatur, quippe

pe qvæ ovula ſua faciei foliorum terram ſpectanti unice credere deprehenditur. Ita grandiora Bufonum, Ranarum, Lacertarum, Serpentum &c, ova cum aqva hauſta foetus ſuos non ita feliciter in corpore excludent, cum è ventriculo facilè ad inteſtina prolabantur, & tanqvam coctioni inepta & repugnantia ab his cum ſcybalis, haud aliter uti fructus, & legumina integra deglutita, ocyus exturbentur.

§. 178.

Diu igitur eſt ex quo me iſta coepit opinio, Ranas, Bufones, Serpentes, Lacertas, Hirudines & alia id genus animalia in corpore hoſpitantia parva adhuc potius, qvam ova eorundem, cum aqva abſorpta & deglutita fuiſſe. Et ſi muſcas aliquando per ſuperius aut inferius guttur, aut etiam cum urina ejectas qvis cernat, vermes in caſeis nidulantes deglutitos integros, & hos tandem in muſcas, lege ordinaria, tranſiiſſe reputet.

§. 179.

Sunt præterea in corpore, tum brutorum, tum hominis, vermes, quorum ſimiles megacoſmus non habet. Lumbrici ſanè inteſtinales à terræ lumbricis multum diſtant, nec annotatum reperi lumbricum terreſtrem ab ovis in lactuca, braſſica, beta &c. repoſitis in inteſtinis comparuiſſe. Imo Lumbrici non in gramina aut olere ova ſua ponunt, ſed ſub terra, qvando hyeme latent, ea pariunt & recondunt. Vermes cucurbitinos & tænias reſpice, & extra hominem in inſectorum proſapia his gemellas non reperies. In Embryonibus utero adhuc concluſis Lumbricos notatos invenio. Lumbricos latos in puero, dum adhuc in utero eſt, gigni aſſeruit *Hippocrates* (*ſ. 5. Op. l. 4. d. morb. p. m. 70.*) *Franciſc. Ranchin.* (*tr. d. morb. puer. ſ. 2. c. 6. p. 327.*) *Dan. Sennert.* (*lib. 3. Med. Pract. p. 2. ſ. 1. c. 5. p. 207.*) *Th. Kerkring.*

 (*Spicil.*

(*Spicil. obſ. 79. p. 154.*) Qvid de monſtroſis vermibus reſpondebit quiſpiam? Non tantum namque non ſunt formæ ſeu figuræ vulgaris, ſed & monſtroſi, ut ſerpentini, roſtrati, piloſi, aut alterius formæ prodigioſæ, ut (*c. l. & p. 332.*) habet *Fr. Ranthinus*, qvorum catalogum recenſet *Joh. Schenkius* (*l. 3. obſ. med. p. 379. ſq.*)

§. 180.

Quæ de generatione muſcarum & inſectorum in plantis, fructibus &c. modo recenſuit *curioſorum noſtri temporis Lynceus Malpighius* (*§. 169. p. 188. ſq.*) cum talia ſint, quæ omnium puncta facilè mereantur, illaque *Curioſorum Hetruriæ Atlanti, Franciſco Redi* arrideant, (*tr. d. gener. inſect. p. 233.*) ſed & *hic* aliam præter hanc opinionem Philoſopho non indignam eſſe arbitratur, qvod nempe una eademque illa anima, vel virtus, quæ flores generat & fructus plantarum, vermes quoque ex plantis producat. Et forte verum eſt, (*ſubjicit p. 234.*) multos arborum fructus non quidem primariò & principaliter, ſed ſecundariò & minus principaliter hunc in finem productos eſſe, ut generationi horum vermium ſervile hoc miniſterium præbeant, & matricis loco inſerviant, ex qva debito tempore prodeuntes Solis calore vegetentur.

§. 181.

Nec diffitetur ſe MALPIGHIANAM de Gallis, ut veriſſimam olim, amplexum, ſed conſideratis poſteà melius rationibus, & animadvertendo plures fructus & legumina eſſe, quæ occluſa naſcuntur, & ab injuriis muſcarum tuta ſunt, nec tamen eò minus verminant; animadvertendo poſteà, quod galluzulæ omnes ſemper & conſtantiſſimè in certa quadam & determinata parte rami novelli naſcantur: & quod galluzulæ minores, quæ à foliis quercûs, æſculi aut cerri procedunt, ibidem ſub fibris & nervis eorundem conſtantiſſime naſcuntur, & nullam unquam galluzulam viſam eſſe, quæ in plano folii inter duos nervos naſceretur, ſed omnes infallibiliter procedere ab illa parte folii, quæ terram reſpicit; (rationem *§. 177.* dedi)

dedi) nullam à glabra, quæ cœlo obvertitur, cum econtrario omnes illæ, quæ in foliis fagi & arboribus quibusdam non glandiferis morantur, in parte foliorum glabra naſcantur: denique notando, multa eſſe aliarum arborum folia, ſub quibus veſicæ, ſacculi, rugæ & tumores naſcuntur vermibus repleti, & protuberantibus foliis ipſas etiam protuberare veſicas, quæ utut minutiſſima ſint folia, videri tamen poſſunt, & cum foliis ſuccreſcunt; hinc quivis manifeſtè certior reddi poteſt; præſertim ſi obſervaverit, quid ſub foliis ulmi, ilicis, pruni ſylvatici, & lentiſci naſcatur. Fagus præterea racemos aliquot florum edit, qui baccas producunt rubras & violaceas, quarum unaquæque tres vel quatuor vermes ſeparatim incluſos continet. Idem Fagus alium quoque florum faſciculum producit, & flores illi calyculos quosdam protrudunt ex viridi flaveſcentes, circa baſin ligneos, &, ubi coëunt, teneros: & omnes hi calyces ſuos ſinguli vermes producunt, qui deinde aſſumpta forma animalium volantium prodeunt. (*p. 237. ſq.*

§. 182.

Qvare mutando ſententiam multo probabilius ſe credere poſſe arbitratur (*p. 240.*) generationem animalium in arboribus non caſu fieri, neque à ſupervenientium muſcarum ſemine ortum trahere: idque tantò magis, quod nulla galluzularum ſpecies proprias ſuas & determinatas vermium, muſcarum & culicum ſpecies producit, nunquam variante natura. Præterea mirabile artificium eſt, quo natura utitur in formando hoc ovo, (in galla id creſcere etiam ſcripſit *Phil. Bonannus p. 1. d. Teſtac. c. 5. p. 33.*) et ut eidem locum intra gallas illas minores præparet, ac de fibris filisque proſpiciat, quæ velut totidem venæ arteriæque á galla ad ovum procedentia ſimul formationi ovi & vermiculi inſerviunt, & nutrimentum ſubminiſtrant neceſſarium. Et quia nonnullæ harum gallarum minorum ſpecies ſunt, in quibus plures vermiculi generantur, eadem natura mater ſuum ſingulis locum accuratiſſimè adſignavit, haud ſecus atque in animalibus, quæ numeroſam prolem edunt. Etiam hoc videre licet, vermes iſtiusmodi ab univerſa, quanta eſt, quercu, fomenta trahere: etenim ſi gallam coronatam ſtatim, ut ex arbore nata eſt, decerpas, dum nullum ovi in galba principium oculis aſ-

ſequi licet: hæc galla nunquam verminabit, nec à verme arrodetur, aut muſcam producet: quod ſi gallam decerpas manu majorem, quæ ovi rudimenta vel ovum recens formatum, ſed tenerum, exhibeat, vermis ad maturitatem non perveniet: at verò ſi vermis ſtatum illum & fixum terminum transmutationis in muſcam & prodeundi ex galla jam aſſecutus fuerit, bene habet.

§. 183.

Verum eſt (*concludit p. 242,*) hunc vermium terminum pro diverſitate gallarum quoq; diverſum eſſe: nonnullæ enim earundem ſpecies veris, aliæ æſtatis, aliæ autumni, aliæ deniq; primis hyemis temporibus hæc animalia producunt: & animalcula nonnulla, in certa gallarum ſpecie nata, ver alterum expectant; alia æſtatem alteram, nec deſunt, quæ gallam per annos duos & amplius habitent.

§. 184.

Et quod de gallis & eorum inquilinis muſcis *nobiliſſimus Redi* prodidit, ea etiam in ſpongiis Cynosbati obſervare licebit, de quibus cum curioſa (*in exaſciata ſua Cynosbatologia l. 2. c. 2. artic. 6. n. 1. & 2. p. 76. ſq.*) *nunquam ſine laude nominandus noſter Hagendornius* propalarit, plura addere ſuperſedeo.

§. 185.

Maximè igitur circa gallarum generationem diſcrepant inter ſe *Redi & Malpighius.* Ille Gallas naturale quid proclamat, hic contra naturam, & tanquam morboſum quid, cujus veſtigia, titubanter quamvis, premit *Noſter Velſchius (Hecatoſt. 1. obſ. Phyſ. med. 99. p. 126.)*, qui easdem pro veris fructibus haberi non poſſe contendit, quia non in omnibus plantis excreſcunt, nec ſemen ullum continent, an verrucæ, aut ſtrumæ, aut ſimilis aliquis morbus plantæ cenſeri queant, aliis cogitandum relinquit, quia vero ſimile putat. *Redi* illos à principio interno derivat, *Malpighius* ab externo, qui inflicti olim vulneris cicatricem Gallæ frequenter ſubeſſe animadvertit, hærentibus adhuc exterius quibusdã tabefactis ovis, quæ intra carinæ corpus condi

&

& pelli à parente muſca nequiverunt. (*p. 2. Anat. Plant. p. 24.*) Hoc mirabile etiam interdum obſervavit & amicis oſtendit (*p. 32.*) Ovorum ſcilicet cumulum ſub apice lacerati ſurculi adhuc exteriorem gallæ ſuperficiem tenere, quæ, amiſſo jam proprio humore, non parum exſiccata conſpiciebantur. Ita in ſpongiis Cynosbati aliquoties ovula quædam in ſuperficie ſpongiarum muſco illi crinito inhæreſcentes invenit *laudatus Noſter Hagendornius* (*c. l. p. 91.*), qui vermiculum intus aluerunt.

§. 186.

Si inter Heroes etiam Davo ſententiam dicere fas eſſet, generationem gallarum in plantis naturalem *cum Franciſco Redi* declararem; cum ictus muſcarum harum progerminationem ſolum cauſare non poſſit, & ſi hoc eſſet plantæ iſtæ galluzulis obſitæ quovis anno ægrotarent non ſolum, verum & galluzulæ omnes non ſemper & conſtantiſſimè in certa quadam & determinata parte rami novelli naſcerentur, & cum muſcæ ubique aculeos ſuos in iſtis ramis novellis figere poſſint, gallarum proventus eſſet copioſior uberiorque. Quod vero laxum illud gallarum corpuſculum terebra ſua muſca pertundere poſſint, & ovulum pro futura muſca in eo quidem deponere non quidem nego, ut nec illud, in ſuperficie gallarum ejusmodi fuiſſe inventa, verum cum ex his forſan aliud muſcarum genus procedat, & poſſibilitas rei exiſtentiam non ſtatim evincat, quæque *Redi* pro ſua ſtabilienda affert multum in receſſu mihi habere videantur, ab ipſius partibus ſtabo tamdiu, donec, iis labefactatis & enervatis, *celeberrimo Malpighio* herbam cum debita ſubmiſſione & veneratione porrigere cogar.

§. 187.

Interea his addo falli illos, qui in roſa canina, & ulmi folliculis vermiculos in ſpongiis intimi, extimique caloris vi gigni aſſerunt. (*Vid. Joh. Rudolph. Camerar. Cent. 17. Syllog. memor. n. 73. p. 1416. & n. 76. p. 1418.*) Falli & *Honoratum Fabri* (*l. 3. d. plant. prop. 5. p. 95.*) Vermes in gallis è putri generari aſſerentem, cui pollicem premere videtur *Th. Browne* (*l. 2. Pſeudodox. Epidem. c. 7. p. 544.* Singularis eſt illa obſervatio *Caſſini*, quam ex *Ulyſſis Aldrovandi Dendrologia ab Ovidio Montalbano collecta* recitant *Ephemerid. Erud.* (*T. 4.*

Ephem-

Ephem. 9. p. 127.) qua quovis in nodo ovum aliquod album, magnitudine & figura exiguum piſi granum referens, inveniri dicit; quorum cum multa ſecuiſſet vermem aliquem exinde generari ſe deprehendiſſe affirmat: Vermem vero mutari in muſcam, muſcam plurima, unde formicæ generentur, ova parere. Formicas devorata ſua matre nodum quernum, cui ſunt incluſæ, perforare, ſeque hinc inde diffundere. Qui vero accuratiori gallularum inſpectioni vacarunt, ex ovulo vermem, & ex hoc muſcam enaſci conſtanter annotarunt. Ut adeò & vulgus, & cum eo quidam ex eruditis fallantur, qui hoc anno gallas vermem, alio muſcam, alio araneam excludere docent, addito prognoſtico vermem caritatem annonæ, muſcam bella, araneam peſtem præſagire. Quamvis & quidam cum illuſtri Henrico Ranzovio (*Calendar. Aſtronom. p. 61.*) vermiculos frugum ubertatem promittere aſſerant. Hæc ruſticorum eſt Aſtrologia, *ſcribit Anton. Mizaldus* (*Cent. 8. memorab. aph. 33. p. 171.*) multis ſeculorum obſervationibus pro Sibyllæ foliis habita. Amplectuntur hanc tamen è doctis *Peucer.* (*d. divinat. gen. p. 58.*) *Joh. B. Porta,* (*l. 7. Phytogn. c. 13. p. 386.*) *Verulam.* (*Sylv. Sylv. Cent. 6. n. 562. col. 867.*) *& Th. Browne* (*c. l.*) qui etiam rationes dare nituntur. Sed hæ ſunt meræ nugæ, rectius judicat (*c. l.*) *Honoratus Fabri,* & inter aniles prædictiones refert *Helmont.* (*tr. Tumulus peſtis. p. 875.* regulamque Sylvani olim vocitabat *Gisbert. Voëtius* (*p. 2. Diſp. ſelect. p. 1073.*) Si namque ex earum hypotheſi, iis reponit *Joh. Rudolph. Camerarius,* (*c. l. n. 71. p. 814.*) cauſam generationis horum animalium in aëris ambientis certam diſpoſitionem transferunt, cur quæſo non eodem momento aërem ambientem idem in corpore humano efficere, quod in gallarum globulis profert, ſtatuitur? quæ cauſa quæſo moræ & dilationis in ſequentem annum? non certè natura venenati aëris, cujus proprium eſt, omnia quam ſtatim inficere, infecta deſtruere & corrumpere, niſi forſitan naturalis calor intenſus veneni hujus aculeum retundat &c. Præterea nemo oculatiorum in gallis araneam conſpexit. Forſan muſca alis nondum perfectis aranea his viſa. Inde (*c. l.*) *Helmont:* Non memini in eadem quercu inveniſſe araneam ſimul & vermem, quanquam muſcam quidem & vermem, vermem quoque & araneam, aut ex mea men-

te

te muſcam imperfectam. At abſit à Chriſtiano, (*concludit Helmont.*) prophetare ex quercu & therebintho: Diris namque id minis à Domino prohibitum legimus.

§. 188.

Cui vero fini deſtinarit immenſum illud inſectorum, & imprimis muſcarum examen curioſus non ſine cauſa diſquiret? De his hunc in modum *Kircherus* (*itin. Exſtat. 2. Dial. 2. p. 612*) diſſeruit: Cum elementa putridis corpuſculis referta ſint, fieri, ut inſecta animalia aëris, aquæ & terræ putredinem venenoſam in iis latentem veluti in vivas quasdam burſas attrahant, colligantque, ne putredinis contagione in vicinas elementi partes ſerpente totum paulatim cum extrema viventium pernicie inficiatur. (*Conf. Ejusdem Mund. magnet. l. 3. part. 3. c. 1. conſ. 2. p. 449. & P. l. Fabrum l. 5. Panchym. ſ. 2. c. 7. p. 629.*) Hoc vero ubi munere inſecta probè functa fuerint, ſapienti natura conſilio tandem in alimentum cedunt terreſtrium, volatilium, & natatilium vitæ conſervandæ neceſſarium. Et ſi tot turmas avium, piſcium & reptilium conſideras, quæ ſolis inſectis & muſcis vitæ terminos extendunt, non miraberis qvare ſapientiſſimus Creator ordinarit, ut non ſolum ex inſectis inſecta generationis ex ovo beneficio proveniant, verum etiam, dum vegetabilia & ipſa animalia horum ova in ſe generant, eorundem copias adaugeant. Miratur mecum hanc conditoris providentiam *Hieron. Fabricius ab Aquapendente,* (*tr. d. format. ovi & pulli part. 2. c. 3. p. 49.*) qui & annotat potiſſimum avium nidificationis tempore inſectorum contingere proventum. Emicat eadem inſuper, dum aëtea & volatilia inſecta in avium alimentum ceſſura condidit, in piſcium nutritionem aquatilia, & in reptilium alitum ſubterranea reptilia. Credamus igitur *Kirchero,* (*l. 12. M. S. ſ. 2. c. 9. p. 393.*) inſectis mundum carere non poſſe, aſſerenti.

§. 189.

Si tamen omne concretum aut corpus ex ſuo ſemine ſ. ovo, (*ſecundum Diſſ. hujus §. 76. p. 110.*) an ſemen illud in plantis aut animalibus latitabit? *Paracelſum* ſi ſequaris, putredine aut digeſtione in materia apta generari ſemen, & exinde emergere plantas & animalia affirmabit. Ita de generatione ſcarabæorum è fimo (*tr. La-*

 by-

byrinth. Med. c. n. p. 286) loquitur: Aus dem Koth wachſen Käfer, Würme, &c. nicht daſs ſich der Koth in Würme verwandele, ſondern es gebiehret ſich ein Same im Koth, aus welchen die Würme in Koth wachſen durch die Vulcaniſche Digeſtion. Alſo iſt der Käfer anders als der Roſs-Koth, wäre er ein Roſs-Koth, ſo wäre er wie derſelbe. Et omnis res, alibi judicat (*fragm. d. vermib. p. 196.*) quæ reddit vermes, vermium materiam habet. Iſta materia ſperma eſt, quæ per digeſtum hoc facit, vel ante, vel poſt putrefactionem. Sperma hoc vocat alibi monſtruoſum, forte quod diſſimile corpus corpori, à quo provenit, (ut adeo reſpectu noſtri monſtroſa & anomala generatio ſit, ut *tr. imago ferm. impr. maß. ſemine n. 10. p. 92. Helmont.*) parit, (*l. 2. Paragraphor. §. 3. p. 454.*) ſuggerens: Alle Würme wachſen ex ſpermate, und nicht ex putrefactione, dann ein ieglich Ding wächſt ex ſemine. Dann aus dem ſemine oder aus dem ſperma wächſet noch ein ſperma monſtruoſum, daraus dann alle faule Würme wachſen in Holtz und in Menſchen dergleichen. In homine, wann er ſtirbt, ſo hebt das ſperma monſtruoſum, und wachſen denn ſolche Würme in cadavere.

§. 190.

Semen illud alii vocant inviſibile, inter qvos *Helmont.* (*tr. Butler. p. 470. Conf. Diſſ. h. §. 40. p. 82.*) Fermentum hoc vocat in plantis *Wolferd. Sengverd.* (*p. 4. Philoſ. nat. c. 1. n. 7. p. 271.*) Ejuſmodi fermentum, *inqvit*, nonnunqvam terræ aliorumque corporum partibus implicitum, ac permiſtum eſt, quo fit, ut varii generis plantæ inexpectatæ è terra interdum prodeant; ſimili ferè modo, quo ex animalium ſeminibus, aliis corporibus involutis, ex improviſo ſæpè animalcula erumpunt, qvæ ſpontaneum habere ortum à quibuſdam cenſentur. Qvorſum, quæ ſupra (*§. 38. p. 80.*) *ex Helmontio* adduxi, referenda. Nec malè quiſpiam vim ſeminalem potius, quam ſemen *cum Hamelio* (*l. 2. d. conſ. vet. & nov. philoſ. c. 2. p. 626.*) vocaret. Latent adeò *juxta Borellum* (*Cent. 4. obſ. 34. p. 304.*) rerum ſemina in animalibus ipſis, ut aliquando

do data anſa rurſus prorumpant, hæcque ipſi eſt *Pythagoræ* metempſychoſis, vel potius metaſomatoſis.

§. 191.

Seminis hujus productioni favent fermentum locale, *de quo ſupra* (*§. 36. & 37. p. 78. ſq.*) & athmoſphæra ambiens, quæ ſi contraria, fermentatio aut putredo ſufflaminatur, viſque ſeminalis peſſundatur. Ita fermentorum infectiones amoventur per frigoris mortificationes (*Helmont. tr. Progymn. Meteor. n. 25. p. 58.*) cum frigus non ſit principium vitale, ſed extinctionis. Et hæc ipſa athmoſphæræ conſtitutio cauſa eſt, cur hoc vel illo anno copioſior aut parcior inſectorum proventus, cum hac vel illa cœli & aëris conſtitutione plantæ aut animalia citius aut tardius, imò planè etiam non, verminent. Plura huc ſpectantia (*l. 3. d. mirac. mort. Tit. 1. §. 46.*) aliquando forſan leges.

§. 192.

Et hæc vera cauſa eſſe poteſt, cur v. g. unaqvæque planta, aut animal, ſuos peculiares fungos, vermes & animalia producat, curve non quodlibet è quolibet emergat. Nec accuratè iſta generatio ſpontanea vocatur, cum non temerè & citra rationem perficiatur, nec generata αὐτόματα, cum non ſponte ſua, ſed è moleculis ſeminalibus propullulent. Nec hanc generationem automaticam, & anomalam à naturali diſſidere *cum Helmontio* (*tr. imago ferment. impr. maſſ. ſem. n. 10. p. 92.*) exiſtimo, cum naturalis & ordinaria ſit in ordine ad cauſas, adeoque immeritò æqvivoca proclametur.

§. 193.

Dices tamen unde animantatis iſtis anima? Plantæ anima tantum vegetativa gaudent, unde igitur ſenſitiva vemibus inſectisque? Stoici ſanè ne animam quidem nominabant eam, quæ ſtirpes diſpenſat, ſed *atteſtante id Galeno* (*l. 6. d. placit. Hipp. & Pla-*

 ton.

ton. p. m. 1991.) naturam. Ex aëre animam hanc derivarunt quidam, inter quos *Baſil. Valentin.* (*Von groſſen Stein der Weiſen 8. Schl. p. m. 96.*) quam & corpore deſtructo in aëre volitare, *aſſerit* (*c. l.*) *Borellus*: Ex anima mundi, qui hanc eandem cum anima ſenſitiva ſtatuit, *Joh. Marcus Marci* (*p. 3. Phil. Vet. reſtitut. ſubſ. 5. p. 264.*) *Conf. J. B. du Hamel.* (*l. 2. d. Foſſil. c. 1. p. 366.*) Rectius mihi judicare videntur, qui & plantas ſenſu planè non deſtitutas eſſe affirmant. Senſu, inquam, ſed qui *ex Plotini & aliorum*, quos citat *Redi* (*c. l. p. 247.*) mente ſomno oppreſſus & ſtupidus, qualem oſtrea, ſpongiæ, & ſimilia alia, in ſcholis planta animalia dicta, habent. De ſenſu plantarum, *ſcribit Th. Companella* (*l. 3. d. ſenſu rerum c. 14. p. 251.*) nemini dubitandum eſſet, cum veſcantur, nutriantur, creſcant, ſemina & natos producant, non ſecus ac animalia. Quapropter, *pergit*, *à Platone* animalia inverſa immobiliaque vocantur, [*vid. Ejusd. Campanell. Phyſiol. c. 9. art. 2. p. 89.*] *Phytagoræ* verò ſenſu prædita videntur. At *Ariſtoteli* [*in 2. d. Anim.*] vegetativa anima, non ſenſitiva, præditæ apparent. At animam dat plantis, ſed quomodo animam absque ſenſu? quia carent oculis & auribus? imo oſtendimus hæc non eſſe ſenſus, ſed vias feneſtrasque ad ſentientem ſpiritum, ut & *S. Chryſoſtomus & S. Auguſtinus* docuerunt. *Hæc Campanella.* Prætereà verum eſt, plantas anxiè Solem & apertum ſerenumque aërem, &, quo poſſunt meliore modo, umbras noxias fugere, ac motu inviſibili illas mutare: & quis ſcit, edicit *Fr. Redi.* [*c. l. p. 258.*] ſi non usque adeò alte in terris radicatæ eſſent, & pedes organaque vocis haberent, annon vitaturæ lædentem, & læſæ lamentis & verbis dolorem ſuum teſtaturæ eſſent. In paralyſi, commentari pergit *idem* [*p. 260,*] quandoque accidit, ut membrum aliquod perdito ſenſu motum retineat liberum, & contrà, ut omnis auferatur motus, ſine ulla vel minima læſione ſenſus. Jam poſito hoc ſecundo caſu, quis diceret membrum paralyticum ſenſu dotatum eſſe, ſi os ægrotanti & vox deeſſet, quæ teſtari dolorem ſuum ad ictus & inciſuras chirurgi ſalutem ſuam procurantis, poſſet? Eadem ratione quis membrum liberè ſeſe movens ſenſu carere diceret, niſi æger ipſe hoc teſtaretur? Quare motus, ubicunque etiam inveniatur, certum ſenſûs, ut nonnulli volunt, argumentum

non

non eſt. Ego præterea ad oſſa provoco, quæ quamvis obtuſe, aut non, ſentiant, anima tamen ſenſitiva informantur. Stupidos & imperitos ſenſum non noſcere, niſi per organa *Campanella* [*c. l. p. 253.*] decrevit. Quiſque tamen id, quod placuerit, credat. Sufficiat hæc indicaſſe. De ſenſu plantarum infrà [*part. 2. diſſ. 2.*] prolixius. Id verò ex *Honorato Fabri* [*l. 5. d. gener. animal. propoſ. 82. §. 2. p. 190.*] adjungam, cum planta ſuum quoque habeat fibrarum plexum, & ſuam animam textricem, non video cur fibræ teneriores in ea rudimenta non terminentur, ex quibus deinde, accedentibus diſpoſitionibus, vermis fiat. Nempè ille idem ignis, (anima huic ignis eſt) qui plantæ ineſt, ineſt quoque animali, & ſuus utrique eſt fibrarum plexus; teneriores aut pingviores, vel, ut ſic dicam, ſubtiliores, in rudimenta vermium facilè abeunt.

§. 194.

Eodem ferè modo ſe habere poterit in homine vivo animalculorum variorum generatio & propagatio. In inteſtinis quippe fœtus, retento ſtercore, ſi *Hippocrati* (*l. 4. d. morb. p. m. 70.*) Lumbricorum ova formantur, & ipſi Lumbrici, qui poſt coëuntes ova aut extra ſe, quod de teretibus *Hipp.* (*c. l. p. 71.*) de Aſcaridibus *Helmont.* (*tr. Sextupl. dig. alim. n. 38. p. 189.*) aſſerit, aut intra, prout Lumbricos gravidos ſe vidiſſe annotarunt *Amatus* [*Cent. 5. cur. 46. f. 81. a.*] *Phil. Salmuth.* [*Cent. 3. obſ. 24. p. 122.*] *Dominic. Panarol.* [*Pentecoſt. 5. obſ. 15. p. 151.*] *P. Borell.* [*Cent. 1. obſ. 89. p. 88.*] In teſtimonium etiam locum citatum *Hippocratis* vocat *laudatus cum Borello Amatus.* Sed hoc dubium facere contendit *O. Borrichius* [*Vol. 4. Act. Haffn. obſ. 54. p. 157.*] qui putatitios vermes inteſtina lumbricorum declarat. Quid ſi Lumbricorum Lumbrici extitiſſent? Et talia ova homini & bruto connaſci velut pili aut eorum radices & bulbuli, quos vegetabilia animaliũ olim [*lib. 1. d. mirac. mort. Tit. 1. §. 13. & 14. p. 5.*]

declaravi, teſtabuntur. Horum namque bulbuli, ut eos eleganter *Joh. Veslingius* [*Syntagm. Anat, c. p. 105.*] & poſt hunc *Isbrandus de Diemerbrock* [*l. 3. Anat. c. 2. p. 480.*] nuncupabat, in cute latent, quorum quidam in utero, ut palpebræ & capilli, alii tardius & ſuo tempore in mento, ſub axillis, ſcrobiculo cordis, pube & aliis corporis partibus in homine, in brutis verò à prima nativitate per totum corpus in pilos erumpunt.

§. 195.

In cadaveribus verò putreſcentibus acceptis opportunitatibus aliquando mediante fermentatione fermentum ſpiritus ſeu Archeus ſeminalis aut ipſum ſemen verminoſum in ova compingi veroſimile eſt, quæ in verminoſam proſapiam tandem animantur. Ita *Steph. Rod. Caſtrenſ.* [*l. 1. d. Met. Microc. c. 9. p. 29.*] *Beckius* [*experim. circ. rer. nat. princ. p. 163.*] cauſæ efficientes non à cœlo, fictitio illo mundi ſpiritu, aut ex aëre deducendæ. Fermentum ſeu ſpiritus ſ. Archeus ſeminalis cadaveris humoribus & fibris inſitus, & huic producto deſtinatus ſufficit. [*Vid. Diſſ. h. §. 32. p. 76. §. p. 80. & §. 46. p. 85.*] Senſum & calorem occultum cadaveri adhuc ſupereſſe ex eo *Th. Campanella* [*l. 4. d. ſenſ. rer, c. 9. p. 297.*] divinabat.

§. 196.

Exempla adducta quædam potentiam ſublimiorem arguunt, quorſum referenda miracula, prodigia, veneficia; quædam ingenium poëticum ſapiunt, morale quoddam, aut etiam ludicrum quid involventia. Quædam ex fama, rumoreque referunt Autores, his formulis adjectis, ferunt, dicunt, ex hujus vel alterius relatione accepi. Quædam ex naturalium cauſarum norma profluxerunt, & ideò veritatem præ ſe ferunt indubiam ab autoribus viſa additis ad veritatem demonſtrandam circumſtantiis,

&

& non raró fide dignis teſtibus. Videamus igitur paucis qvid de allegatis ſentiendum.

§. 197.

Metallorum, mineralium & Lapidum pluviæ [*§. 81. p. 113.*] vulgò inter miracula & prodigia numerantur, ſuum tamen in cauſis naturalibus obtinere fundamentum multi non inani perſvaſione credunt. Exhalationes metallicas & minerales, & exaltata primordia à terra radiis ſolaribus elevata multi in ſcenam vocant, & lapides ex ſalinis vaporibus in aëre condenſari, præſertim frigore accedente, *Th. Bartholini.* [*cent. 4. obſ. 49. p. 338.*] perſvaſum habuit, ſed hos in eam ſublimitatem poſſe attolli experimenta chymica reclamant, *reſpondet Joh. Marcus Marci* (*p. 2. phil. vet. reſtit. ſubſ. 1. p. 147.*) Fingat *Paracelſus* [*l. 2. Philoſ. tr. 5. c. 1. p. 35.*] metalla ſupera ortum ſuum habere è ſeptem planetis, imò ferrum & lapides ex iiſdem decidere [*l. 2. d. podagr. p. 571.*] In Aëre potius multarum rerum ſeminia contineri, quæ in ſuos ortus ſtatis temporibus maturantur *Marci* [*c. l. p. 149.*] eſt ſententia. Ejuſmodi producta aërea tumores, coryzas & morbos naturæ nuncupat *Th. Brown.* [*p. 1. Pſeudod. Epidem th. 123. p. 118.*] & eorum materiam nunquam ignem aut terram extitiſſe cenſet, ſed viſcidam limoque ſimilem materiam, quæ calore accenſorum vaporum pinſitur & exuritur, ut inde lapis fulminaris generetur. Ex commixtione duorum humorum in momento abſque ignis ſubſidio lapidem concreſcere poſſe experimentum Nic. Stenonis [*Can. Canchar. Diſſ. p. 127.*] evincit: Vidit ille Pariſiis in Academia *Thevenotii in Chemicis multum verſatum Borellum* duos liquores limpidiſſimos confundere, qui illicò concreſcebant adeò, ut everſo vitro ne gutta quidem excideret. Quare Lapidum pluviæ *Livio* frequenter memorentur, rationem egregiam (*Exerc. d generat. mineral. vegetab. & animal. in aëre c. 1. §. 6. p. 11.*) dedit

dedit *Excell. Hartmannus.* De nummis aureis, quos è Sole, aut Iride qvidam ſecundum *Thurneuſſerum* (*Onomaſt. p. 44.*) decidere judicarunt, evolvatur *Decur.* (2. *M. C. A.* 4. *obſ.* 7. *p.* 34. *ſq. Ann.* 5. *obſ.* 159. *& obſ.* 203. *p.* 417.) ubi inter numiſmata antiqua ſuo jure referuntur. De veneris aureæ cum fulmine delapſæ generatione conſulatur *noſter Balduin.* (*c.* 5. *&* 6. *p.* 265. *ſq.*) De Molis Heſperidum (*§.* 83. *p.* 114.) infra (*p.* 2. *diſſ. artic.* 2. *§.* 42.) pluribus. Aureas glandes *Plutarchi* teſtimonio (*d. Pyt. orac.*) è palma defluxas putaverim eſſe fructus palmæ, *ſenſit Fort. Licetus* (*l.* 2. *d. Monſtr. c.* 49. *p.* 162.) ob nimiam maturitatem flaveſcentes in lapidoſam ſubſtantiam commutatos. Fungos enim & ſtirpium frondes, fructus, & ſtipites nonnunquam lapideſcere, notum eſt viris mirabilium naturæ ſtudioſis, flavos autem palmarum fructus lapideſcentes in ſubſtantiam aureæ conſimilem permutari neminem latere cenſeo. *Hæc ille.* Vitibus aureis botros aureos etiam ex Hungaria allatos & *ab Iſibordo ab Amelunxen* (*Brev. rer. mem. c.* 19. *p.* 198.) memoratos addo, & hos cum aliis recenſitis in natura fundamentum habere paulò poſt (*p.* 2. *Diſſ.* 1. *ſ.* 1.) ediſſeram. Denarius in tubere (*§.* 83. *p.* 115.) nummum argenteum rapæ incluſum, & *à ſolertiſſimo D. Joh. Franco* (*D.* 2. *M. C. A.* 2. *obſ.* 133. *p.* 298) notatum in memoriam revocat, & cum aliis obſervationibus huic additis parum ad rem facit præſentem. Quæ quercus gignit lapides aut pumices (*§.* 84. *p.* 116.) Vitrioli, quo quercus turget, coagulum ſunt, & ſi in petroſis locis radices agant, petroſum liquamen ſucco nutritio junctum attrahunt. Sapienter proinde Diatætica nephriticis alimenta in arenoſis nata prohibet, dubitat *Joh. Chryſoſt. Magnen.* (*Democr. redivio. Diſput.* 2. *c.* 4. *propoſ.* 35. *p.* 294.) De metallis & mineralibus in animalibus & homine (*§.* 85. *p.* 116.) cauſam probabilem ſubjunxi.

§. 198.

§ 198.

Produxit terra (*ad §. 86. p. 117.*) in creatione herbas virentes non ſecundum ſuam vim & poteſtatem tanquam efficiens materiæ diſpoſitæ combinatum, ſed ad juſſum divinum ſemina herbarum terræ concreata in herbas & arbores ſupernaturaliter in momento erumpebant [*Henric. Kipping. l. 4. Inſtit. Phyſ. c. 7. §. 10. p. 146.*] quæ ex deſtinatione divina poſteà ferebant flores, fructus, & ſemina tandem; ſeu ova, quibus mediantibus in hunc uſque diem earundem ortus & proventus continuatur, & uſque ad ſeculi conſummationem durabit. Benedictio hæc illa eſt vis beneficio ſeminis ſpeciem ſuam propagandi, ut *Valentin. Henr. Kogler.* [*d. reb. natur. & medic. S S. ad c. 1. Geneſ. p. 19.*] Affingit pro more *Kircherus* [*Itin. Exſtat. 2. dialog. 2. p. 557.*] terræ in creatione vim ſpermaticam, qua herbas produceret, cum nemo, quod non habet, dare poſſit: fruſtra enim, *pergit*, creaſſet materiam, ſi in ea non virtualiter extitiſſet. Sed ſi virtualiter latitaſſent in terra vegetabilia tanquam è materia diſpoſita & apta emerſiſſent, quod creationi repugnat ſecundum ea, quæ *ſuprà* [*diſſ. h. §. 50. p. 87.*] diſſerui. Non igitur propriè terra modò germinat, ſed herbæ in terra. Terricolæ ſunt plantæ non terrigenæ. Non igitur principium, ſed matricem ſeminum, in qva ſemina explicantur & nutriuntur, terram pronunciavit *Beckius*, [*Experim. circa rer. pat. princ. 119.*] Matrix *Helmontio* [*tr. Terra non p. 45.*] eſt non mater, quod tamen alio modo explicat, nempe ut ſola aqua, non terra, plantas nutriri probaret. *Alibi* [*tr. d. magnet. vuln. curat. n. 63. p. 605.*] terræ datam vim germinandi per ſe aſſeruit. Nimirum creator, explicat (*tr. Cauſæ & initia natur. n. 25. p. 30.*] dedit terræ ex ſe germinandi virtutem, dedit fermenta totidem, quot fructuum expectationes: ut etiam, ſine ſemine præcedentis plantæ poſſint ex aqua ſu-

os liquores & fructus prolificare. Terram mundi vulvæ conferebat olim *Franc. Valleſius* [*ſacr. Philoſ. c. 52. p. m. 307.*] cum in ea concepta ex ea naſcantur omnia, aqua verò ipſi habebat rationem ſeminis communis, cum per eam fœcundetur terra, neque ſine ea procedere ex ſe quippiam poſſit. Ego verò nutricem lubentius dicerem, cum ſemen vegetabilium, ut quorundam animalium, ſit quaſi expoſitus uterus, in quo vegetabile continetur, & aqua fermento terræ alterata lactis vices exerceat. Quamvis etiam è cœli uberibus (athmoſphæram ego ſubſtituerem) maximam corporis molem plantas acqvirere autumet *Joh. Chriſtoph. Steebius* [*Cœl. Sephirot. c. 3. ſ. 3. n. 587. p. 57.*] Terram autem abſque ſemine planè eſſe vacuam & ſterilem experimentum allatum abundè evincit. Cur namq; terra è profundo educta, aut ignis flammis cremata non oppidò germinandi vim inſitam exercet, ſed annuum ſpatium & ultra expectat. Expectat ſcilicet ſemina aliunde ventorum vi, aut inundationibus aquarum delata. Deferuntur etiam ab avibus deglutita, & cum excrementis reddita, haud aliter ut piſcium, quod cum aliis iterum *Steebius* [*c. l. n. 591.*] annotavit. De Nucibus moſchatis ab avibus devoratis in inſula Damna & Banda *Joh. Jacob. Saar.* (*Oſt-Indianiſche Krieges Dienſte c. 3. p. 40.*)

§. 199.

De pluvia annonæ (*§. 88. p. 118*) ne plura addam, *laborioſiſſimus meus Hartmannus* aurem vellicat, qui hoc labore (*in Exercitatione laudata c. 3. 4. & 5.*) egregiè defunctus eſt. Pluviæ ſecalis, quæ in Auſtria anno 1656. contigit *illuſtris. Dn. Baro ab Hochberg* (*l. 7. Georg. Curioſ. c. 29. p. 48.*) mentionem fecit, qui & tale frumentum Argentorati in Magazino aſſervari fidem facit. Spurias ejusmodi pluvias dari ſequens *Th. Browne* (*l. 2. Pſeudodox. Epid. c. 7. §. 5. p. 546.*) evincit obſervatio: Diß einzige können wir (*ita interpres Chriſtian. Peganius ſonſt Rautner genannt.*) daſs das jenige, ſo ſich dieſes Jahr an unter-

terſchiedlichen Orten begeben, und überall ausgeſprenget worden. es habe Weitzen geregnet, und ſey daſſelbe aus den Wolcken herab gefallen, gleichvvohl nichts anders gevveſen iſt, als der Samen aus Epheu-Beeren, der den Weitzen etlicher maſſen ähnlich iſt. und ob man Ihn gleich auff den Kirchen, und andern hohen Gebäuden und Orten gefunden, ſo kan er doch wohl von Vögeln dahin getragen, oder wieder ausgevvorffen ſeyn, denn es nähren ſich ihrer viel davon, und haben wir bey etlichen die Kröpffe davon ſo voll gefunden, daſs ſolche auff die drey Unzzen ſchvver gewogen. Semen Plantarum in turribus, tectis, rupibus, muris & ſtatuis germinantium (*§. 49. p. 119.*) imbre, vento, aut caſu ab avibus vel etiam ſtudio hominum eò delatum fuit. Docent hæ quantum plantarum nutririoni & conſervationi conducat aër athmoſphæricus, quippe cujus beneficio & ſubſidio illa maximam incrementi ſui partem debent. Negotio huic exſequendo favere poſſunt fiſtulæ illæ ſeu fiſtuloſi faſciculi, quos cortice detracto in ſingulis plantis obſervavit *Malpighius* (*Id. Anat. Plant. p. 3.*) easque pulmonibus inſectorum comparat. *Conf. J. N. Pechlin.* (*tr. d. Aer. & Alim. deſ. c. 1. p. 7. ſq.*)

§. 200.

Spuma iſta tubuloſa viridis (*§. 90. p. 119.*) ſtagnis ſupernatans vera & perfecta planta non eſt, nec evadit. Hoc tamen Phyſicorum inſurrat auribus aquæ aut viridem ineſſe colorem, aut eundem, ſi non moventur, ab aëre accipere, adeoque de plantarum virore inde non leves conjecturas concipi poſſe. Herbula Libavii anonyma monſtroſa videtur, ideoque de eadem (*in exerc. d. plant. monſtr.*) quædam ſparſi. Non actis in terræ fundos radicibus herbas aquis ſupernatantes virere vel pulegio plebecula demonſtrabit. Sed hoc non omnibus arridet. In mari etiam viridi promontorio Africæ viridi vicino, Luſitanis mare di Sargaſſo vocato, herbam di ſargaſſo in profundo & arenoſo maris alveo primum radicaſſe *Chriſtoph à Coſta* (*d aromat. c. 60. p. 293.*) ſuſpicatur, cum tenuis radicis à rapido aquarum curſu avulſæ non vana appareant veſtigia. Non ex nive, ſed in nive creſcunt plantæ, ſi nempè ſemina plantarum prius nix aliunde hauſit. *Vid. Sennert.* (*Hypomnem. 5. c. 7.*)

§. 201.

Circa plantarum ſubterranearum ortum (§. 92. p. 120.) alibi (*Exerc. d. Plant. Monſtroſ.*) occupor. Arbores ſubterraneas & ligna ſubterranea inter metallophyta meritò repoſuit *Georg. Hier. Velſchius* (*d. ven. Med. c. 4. p. 122.*) De plantis è cineribus & ſalibus reſuſcitatis (§. 93. p. 121.) in evolutione monſtroſarum plantarum conſtitutus quædam diſſero. Hoc addo *ex Helmontio* (*tr. Form. ortus n. 30. p. 111.*) ignem eſſe mortem artificialem poſitivam, quæ ſemina non producit, ſed abſumendo illa transmutat (*tr. compl. atque miſt. Elem. figm. n. 10. p. 86.*) Ex herbis conciſis herbas enaſci (§. 94. p. 122.) non facile *cum Kirchero* (*l. 3. Mund. magnet. p. 5. c. 3. p. 500.*) dixerim, facilè verò è conciſis radicibus. E ſtercore ſuillo, qui carduos & ſonchos prognaſci perhibent, ſomniant, particulæ & fibræ crudæ & illæſæ radicum in illo latent, e quibus cardui & ſonchi. E foliis Cinaræ putreſcentibus propullulantibus fungis addo, quos hoc anno 1691. Prid. Nonar. Januar. oculis uſurpare licuit. Videlicet cum grandem, in tabem proclivem, cucurbitam diſſeco, à putrilagine ſemina defenſurus præter ſpem ſemina remotis corticibus mucoſa deprehendo, corticibus autem ſeminum fungos nigros adnatos, qui microſcopio examinati crobi majoris figuram exhibebant. Referendum huc *Excell. Sebaſt. Wirdigii* (*l. 1. d. medic. ſpir. c. 7. §. 3. p. 13.*) experimentum. Aliquoties, *memorat*, obſervavi, quando Novembri folia braſſicæ rubræ ex infima caulis parte flaventia, flaccida, decidua, decerpſi, convolvi, involuta obſoleto linteo ſtrenuè funiculo conſtricto ſub terram defodi, vere iterum erui: inveni corruptorum foliorum fibris adhæſiſſe braſſicæ ſemina. Idem evenit cum foliis calendulæ. Si quid namque hariolari poſſum, fungulos ejusmodi ſemina mentitos auguror. Arborum fungos non malè apoſtemata dixit *Meſues*, cum ſaniei ex arboribus ſtillantis ſint progenies. Plantæ in plantis ſeu arboribus (§. 95. p. 122.) eadem ratione, qua, quæ in muris, cacuminibus petrarum & turribus radices egerunt, germinant. Semina ab avibus in arbores deferri *Theophraſtus Ereſius* (*l. 2. d. cauſ. plant. c. 23. p. 172.*) annotavit.

§. 202.

Si vera de cervo hederam viridem cornibus enatam gerente

elt

eſt hiſtoria (*ſ. 96. p. 123.*) ramulus hederæ arboreæ tenello ſpongioſoque adhuc cornu caſu inſertus, more plantarum paraſiticarum, fibras & tandem radices egit rorideque & glutinoſo typhorum pulpoſorum ſucco nutritus incrementa cepit & crevit. Piſces muſco Satyrorum inſtar veſtiri miraculum non eſt, cum & corallina ſcopulis marinis, teſtaceis coraliisque, eo modo quo muſcus arboribus, innaſcatur. De muſci & fuci marini variis generibus Diſcorides (*l. 4. d. R. M. c. 99. & 100. p. 283.*) de algis autem marinis *Theoph.* (*l. 4. hiſt. plant c. 7. p. 55.*) evolvatur. Unde verò Ruta in capite carpionis, anagallis in dorſo gammari, fumaria in cauda Lucii, piloſella in corpore ranæ, anſerina in Lucii capite, de quibus *Curioſus noſter Paulini* (*obſ. Phyſ. med. ſelect. & curioſ. 113. p. 70.*) non patet, cum herbæ iſtæ, ſi anagallidem flore cœruleo excipias, circa aquas nunquam aut rariſſimè inveniantur, humiditasque nimia earum incremento obſtet. Nec ratio cur Abſythium montanum cum ſemine in capite ovino, (*teſte Eodem. c. l.*) & Chamomilla in capite Cervi teſtimonio *Isbrandi ab Amelunx.* (*Breviar. c. 42. p. 207.*) creverit facilè eruetur. Lithodendris Corallinis in dorſo Delphinorum inventis ortum ſuggeſſit lac illud ſpermaticum, quod certo menſe, ſi comprimantur, corallia ſtillant, quod *J. B. Tavernier* (*l. 2. Itin. Ind. p. 139.*) & ex relatione mercatoris Arabis *Kircherus* (*l. 9. M. S. ſ. 3. c. 6. p. 179.*) teſtatur. Baccas Coralliis tribuit *Plinius* (*l. 32. c. 2.*) quas ſemen interpretabitur, qui *cum Anſhelmo Boëtio de Boot.* (*l. 2. d. Lap. & Gem. c. 153. p. 154.*) Corallium veram plantam ligneam eſſe, lapideſcere autem cum emoritur, contendunt. Vidit namque apud antiquarium Imperatoris Romani variis coloribus corallia, ac cujus ſurculi lignoſi adhuc ex parte in Corallium mutati erant, ita ut manifeſtè planta ipſa lignoſa conſpiceretur. Add. *Sam. Bochard.* (*p. 2. Hieroz. l. 5. 6. col. 702.*) Et hæ baccæ in Delphinorum cute uliginoſa & mucilaginoſa haud difficulter frutices emittunt. Speluncarum cives Dracones muſcoſi ſi appareant non mireberis, & apis illa Borelli coronata muſco obſitum cranium circumtulit. Quæ (*ſ. 97. & 98. p. 124.*) referuntur inter ficta & nugas cenſeo, & quæ [*ſ. 99. p. 125.*] inſerta curioſitate, non neceſſitate inductus retuli.

§. 203.

Interim vegetabilium radices & ſemina in corpore animalium germina & radices emittere poſſe [§. 100. p. 126.] nullus inficior. Si namque id inficiarer obſervationum pondere ad palinodiam adigerer. Glandes in ventribus boum nonnullorum & vaccarum quibus, propter pabuli penuriam anno 1687. apud Bononienſes paſcebantur, referente id [*in China*] *Kirchero & ex illo Ephemerid. Erudit.* [*Tom. 4. Eph. 9. p. 126.*] progerminabant. Simile quid Elephanto evenit, in cujus ſtomacho calamus Sachari deglutitus radices egit, & folia protruſit. Phaſeolum in naribus intumuiſſe & ſemen Anagyridis nucleumque cerasi ex aure germinaſſe *Marcellus Donatus* [*l. 2. hiſt. med. mirab. c. 12. p. 219. ſq.*] in literas retulit. *Conf. Borell.* [*Cent. I. obſ. 10. p. 15.*) In hiſtoriis legimus, *meminit Becherus* [*l. 1. Phyſ. ſubt. ſ. 4. c. 6. n. 6. p. 276,*] neſcio quo caſu granum tritici in uterum cujusdam fœminæ cum coitu viri incidiſſe, vel intruſum fuiſſe, quod poſteà in matrice pullulare incepit, totumque culmen & grana ex ſangvine formavit, mira in copia & valdè turgido utero, unde fœmina mortua & diſſecta hic caſus apparuit. *Hæc ille.* Singularem caſum *Hippocrati Wittebergenſi D. Sennetto* [*Epiſt. 21.*] narravit *Doeringius*, qui, allegante illum *Sachſio* [*l. Gammar. c. 9. §. 4. p. 189.*] ita habet: Retulit *D. Kirſtenius* fuiſſe ſuo tempore Medicum Chymicum, qui conſtantiſſimè aſſerere non dubitaverit, Aſthmaticum quendam, qui Jenam conſilii petendi gratia venerat, non aliam ob cauſam ex eo affectu laboraſſe, quam quod nucleus in pulmonem delapſus ibi germinaverit, & in puſillam arborem excreverit. De granis avenæ, quæ in ſtomacho militis Haffnienſis germinarunt *Dn. Buſſieri* obſervationem communicant *Act. Erud. Lipſ.* [*Ann. 1686. Menſ. Maj. p. 276.*] *Petrus Michaël de Haredia* [*T. 4. op. l. 1. Vid. Ephem. Erud. T. 2. Eph. 27. p. 314.*] aſſeruit: ſe vidiſſe virginem, quæ cum integrum frumenti granum abſorpſiſſet, plantam planè viridem, jamque ſatis magnam quæ in corpore ipſius creverat perinde atque in ipſa terra, ejecerit, ea verò, cum in inteſtinis egiſſet radices a velli haud potuerit aliter, quam cum infandis doloribus, qui præſentiſſimam accerſere videbantur mortem. Piſum per plures annos laryngi infixum tandem germinans rejectum, quod *M. C.* [*Dec. 2. An. 2. obſ. 134. p. 300.*] inſeruit

ruit

ruit *D. Vitus Riedlinus.* Non igitur ſine cauſa quis miraretur cur non ceraſorum nuclei per ſex menſes in inteſtinis latitantes, de quibus *Corn. Stalpart. van der Wiel* (*Cent.* 1. *obſ.* 94. *p.* 273.) in germina faceſſerint. Quod ſi hoc modo vegetabilium thorus cavitates corporis animalis fiant, naturaliter id evenire certum eſt, adeoque ſpontanea & æquivoca generatio locum non habet. Paſtoris vero Tarraconenſis hiſtoria, trabale mihi mendacium, hiſpanicumque figmentum eſt. Vult equidem in ſemen pruni devoratum cauſam *Gaſparus a Rejes* (*Elyſ. jucund. quæſt. camp. quæſt.* 36. *n.* 9. *p.* 429.) transferre, ſed hoc hiſtoricæ narrationi æquè adverſatur, ac illud quando ſubdit: Sed absque hujusmodi principio enaſci potuiſſe ipſa naturæ vis oſtendere videtur, cum in humana plantarum vires reperiri & lapidum, nobis non contemnendi philoſophi inculcent, ut latè & doctè probat *Joſephus Phavorinus à Clavaricis in Synopſi de Hominis excellentia ſatis magno volumine.* Credenda igitur, credulus nimium concludit Philoſophus, quæ fabuloſa videntur, quippe & in mirifica naturæ majeſtate poſſibilia ſunt, quæ talia non judicantur, nec ideó negandum quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum. Ad inſitiones peregrinorum ramorum provocat *illuſtris Bartholin.* (*Vol.* 1. *Act. Hafn. obſ.* 3 *p.* 11.) ex eaque hanc hiſtoriam illuſtrat. Sed nec omnis ſurculus unicuique ramo aut trunco inſeri gaudet. Egregiè idcircò *Verulam* (*Cent.* 6. *Sylv. Sylva. Exp.* 501. *col.* 857.) Diverſos fructus cum dico, tales intelligo, quos non averſatur pugnans ſtipitis natura. Hinc dubito, an qui pruna adoptet caudex, recipiendis pomis, malis auantiis ſe indulgeat. Fibrarum & tubulorum hic præprimis convenientia attendenda, quæ ſi pruni ſpinam & carnem humanam examines, locum hic neutiquam habet. Unio iſta decenter ut fiat ſpiritus quietos & placidos, humorumque motum naturalem expetit. Quare ne in inſitione lædatur aut ſtipes aut ſurculus Hortulani ſummoperè cavent. De ſpina acuta exquiſiti ſenſus carni infixa quid ſperandum? Judicium hic interponat ſuum *Helmont.* (*tr. Pleura furens. n.* 13. *p.* 319:) ſit ſpina parti alicui infixa. Cui ſucce-

cedit in inſtanti dolor, à dolore mox pulſus, à pulſu cruoris affluxus, undè tumor, febris apoſtema &c. Spina ergò poſt ſe movet cœtera. *Hæc Helmont.* Citius igitur hoſpitem ingratum concitato apoſtemate ejiciet, quam in coloniam ſuam recipiet Archeus furioſus. Spinam igitur & tribulos vocat peregrinam aciditatem & omne dolorificum quod in furorem Archeum agitat *Helmont, prout alibi* (*Exerc. de dolore* §. 7 4) id pluribus demonſtrare & explicare nitor: Non igitur admittendam cenſeo Borellianam illam ætiologiam, quando (*Cent. 4. obſ. 100. p. 353.*) de glandula in tumore digiti indicis, quæ aperta in formam roſæ centifoliæ ſeſe explicavit, ratiocinatur, quod provenire poſſet à Roſæ ſpina infixa, ut olim de prunulo (Paſtoris Tarraconenſis) accidit. Quæ de ſeminibus & aliis egeſtis ibidem memorantur, ſi non aſſumta per os prius fuerint, quod de ſemine Aniſi *ad Gregorium Horſtium* (*l. 1. Epiſt. med. ſ. 5 p. m. 397.*) ſcripſit *Gvilh. Fabricius Hildanus*, magicum & Dæmoniacum quid ſubeſſe *Th. Bartholino & Dan. Beckero* (*cc. ll.*) viſum, quod illa à Dæmone compreſſa & crebra parturitione inter alia etiam ligna egerens *apud Jacob. Ruffum* (*l. 5. d. mulicbr. c. 6. p. 393.*) teſtatur. Ut, rationem culmi hordeacei geniculati in veſica geniti erueret *Kircherus* (*l. 12. M. S. ſ 1. c. 9. p. 364.*) dicit id factum eſſe, quod, cum is ut plurimum crudis hordei granis veſceretur, acciderit, ut nonnulla corpuſculorum ſpermaticornm portio una cum nutrimento intra veſicam confluxerit, ubi cum tempore intra viſcoſam veſicæ materiam, calore excitata vis ſpicam, ex qua ſemen profluxerat, excrevit. Movebit hæc ratio Philoſopho Democriteo, aut Epicureo, aut Gaſſendi ſchola inſtructo ſalivam, eclectico riſum. Prævidiſſe poſtremum videtur Kircherus, ideò his concludit: Qvamvis hujusmodi prodigioſos rerum partus non tam e ſemininali

qua-

quadam virtute, quam ex incantamento qvodam magico accidiſſe exiſtimem.

§. 204.

Qvæ de plantis ex partibus animalium demortuis ut & ex humanis ſepulchris exſurgentibus (§. *101. & 102. p. 109.*) allegantur, lectorem expoſcunt magis credulum & de plebe Philoſophum, qvam curioſum & accuratum ætiologum. In Cranio humano muſcus provenit ut in tegulis, in illo tamen difficilius, quia Cranii levitas muſci pulverem ſeu ſemen difficulter retinet, quare illi, qui uſneam illam citò & in copiâ deſiderant prius terra Cranii oſſa terunt, & conſpergunt, quod ipſum decantatam illam uſneæ vim in ridiculo ungvento armario, & contra narium Hæmorrhagiam multum reddit ſuſpectam. Et hoc modo alia quoque vegetabilia, ſi ſemina eorum cranio firmiter terræ affrictæ ſubſidio adhæreant, in ejuſdem Hemiſphærio progerminare & radices figere valebunt. Qvæ *ſupra* [*§. 202. p. 213.*] de corallio in dorſo Delphinis fruticante collecta attuli etiam huc referenda. Altioris indaginis puto, cur athmoſphæra, competente deſtitutæ herbæ, teneriores etiam, qualis apud nos Roſmarinus, in fœdo & putrido ſarcophago, tabis & putredinis ergaſtulo, abſque radicibus tanto tempore virorem ſervent & vigorem, ut etiam ſeculum excedant, quæ auræ liberiori & Solis radiis expoſitæ aliqvando vix annuum ſpatium perennant. Problema ſanè curioſis mentibus non indignum, quibus etiam id ad reſolvendum offero, & ad reliqua propero.

§. 205.

Qvæ de pluviis ranarum, bufonum, piſcium & murium (§. *104. p. 132.*) leguntur aut ſphæram Naturæ tranſcendunt, aut fabulis accenſentur. Ex aqua genitali cœleſti calore condenſata ranas in nubibus formari dum ſcripſit

(*Exerc.323.p.1027.*) *Scaliger*, in ſubtilitatis gymnaſio ſe conſtitutum oblitus eſt. De opere generationis nunc agitur, *ex H. Kippingio* (*l.7. Inſtit. Phyſ.c.3.n.11.p.271*) arguo, quod à cœleſti influxu [calore] non perficitur, niſi in creationis opus convertere velimus, & ranas, muſcas, apes, mures creari dicamus, quæ naſcuntur. Nec judicioſior illa *Daviſonii* (*prodrom. comm. in Med.P.Severin.Artic.3.p.227.*) dum: Ratio facillimè, inquit, reddi poteſt, quare piſciculi & ranæ formari videntur, cum calidiſſimis imbribus pluit. Nempe in violentiſſimo calore animalia ad venerem æſtuantia lentorem quendam vaporoſum è toto corpore, in quo ſeminaria virtus caloris & lucis degit, dimittere cenſentur, qui quidem cum vaporibus, (qui tunc temporis copioſè ex humiditate prima generantur,) concentrati ſublimantur, & in aëre tepido à Sole ita animantur, ut non ſecus ac artifex, qui in tempore artificium ſuum conceptum profert: ſic Sol rerum naturalium artifex cum luce, ſplendore, & lumine in inſtanti inſectorum corpora animat; & in terram deponit. Non enim omni ſed certo tempore, autumnali & verno, in venerem aguntur piſces, ſolo vere ranæ: Nec ex lentore, ſed ovo, illæ generantur, ovaque iſta à piſcibus arenæ in aquis, tanquam uteris, concreduntur; ranarum verò colliquamento viſcoſo & lento immerguntur & combinantur, ut adeò planè non, aut difficulter, à radiis ſolaribus in altum trahi queant. Quis machinas egregias iſtas fabricabit, & quidem in inſtanti, ſi internus motor deſit? quomodo cœlum inanime artificem ſe ſiſtet, & è quo conditorio depromet animas & machinis infundet? Sine concurſu inferioris cauſæ non gignunt cœlum & ſtellæ, iterum judicat (*c.l.p.272.*) *Kipping*, ut corpora viventia, vermes, ranas, mures producat. Si verò inferior cauſa ſubeſt, cœli vel ſtellarum concurſu ſpeciali opus non erit. Rerum inviſibilium figuris plenum aſſeruit aërem *Joh. Marcus Marci*, (*Philoſ. vet. reſtit. p.3. ſubſ.4.p.292.*) Ideò rationem daturus, cur è guttis ex aëre in pulverem delapſis illicò ranæ prodierint neceſſe eſt, *ait*, in illis aquæ guttis ideas ſeminales ranunculorum fuiſſe illorum opifices: quibus pulvis in quem labebantur uteri loco erat, ideas ſeminales ad ſoliditatem materiæ & debitam coagulationem adducendo. Priusquam verò rana vera eſſet, rana umbratilis erat in guttis illis ideata; pro-

ut

ut plantæ illæ umbratiles in veras plantas perficerentur, ſi virtus terreſtris & conſtrictiva ineſſet. Sed umbratilium ranarum umbratilis verè eſt ratio. Cogitet quomodo momentanea hæc ranarum generatio in natura conſiſtere poſſit, cum naturæ ordinem tranſiliat, & generatio ſit motus ſucceſſivus, nec in inſtanti fiat. Patet id in ranarum illa generatione & formatione, quam egregiè delineatam evulgavit *Curioſus ille Danus Oliger Jacobæus (obſ. d. ran. & lacert. p. 6. ſq.)* Mirum ſanè eſſet (*ratiocinatur idem. c. l. p. 17.*) vel puncto temporis efformari oſſa, cutem, hepar, inteſtina pedesque quatuor mox protuberare, qui in cœteris ranis plruium ſeptimanarum patientia ab involucro ſuo liberantur. Delituerunt forſan ranulæ ſub iſto pulvere, quem parum philoſophicè pro matrice obtrudit *Marci*, & ex hoc ſubſidente à pluvia pulvere emerſerunt. Qui ut alia mixta ſic gyrinulos ranarum ex exhalatione & vapore in aëre concreſcere *cum Fromondo* (*l. 5. Meteor. c. 6. art. 4. p. 492.*) autumant, credulitate in avia abripiuntur, cum aliquod mixtum hac ratione in aëre produci vero non ſit congruum. Omnium optimè reſpondiſſe in hoc caſu mihi videtur Cardanus (*l. 16. d. ſubtil. p. 796.*) qvamvis more ſolito (*c. l.*) *à Scaligero* vanitatis incuſetur, & falſè *vir divini ingenii videatur*, dum ex ovis in aërem tractis & raptis, aut etiam quæ inter turbines ventorum & imbrium procellas abrepta animalia emittunt animalium parvorum ex alto deciduarum proventum derivat. Rectius verò *Cardano* objicere potuiſſet ovula illa colliquamento glutinoſo, (ut ea propter Gluten aquæ ſperma ranarum *Paracelſo & Chemicis* appelletur) implicita calôre difficulter in altum ſublimari, nec ex modò dictis generationis ranarum actum unius eſſe momenti & inſtantaneum. Integra animalia vehementi & ſimultanea quaſi elevatione aquæ ſurſum trahi ſibi & aliis perſvaſit *Alb. Kyperus* (*T. 2. inſt. Phyſ. l. 11. c. 2. n. 3. §. 3. p. 186.*) Hoc ſiquidem ipſi à multis fide dignis relatum fuit, accidere quandoque in mari, ut integræ cimbæ aut minitulæ naves una cum hominibus ſurſum aliquando evehantur, atque iſtorum unus ſanctè jurabat, ſe cum è loco uno in India navigaret in alium in tali periculo fuiſſe. Indicio id eſt præterea *Cardano* (*l. c.*) quod frequentius pluant animalia, quam triticum & reliqua cerealia, quæ tamen facilius transferri poſſent ipſis animalibus. Et ſi lapides ventorum

turbinibus in altum alicubi ſublati in aliis locis decidant, cur non cum aliis animalculis ranæ? Aſſenſum ſuum huic conjecturæ conſecrat *Olig. Jacobæus* (*c. l. p. 18.*) Ego potius *cum Sennerto* (*l. 4. Epit. ſcient. nat. c. 6. p. 335.*) ranas & alia animalia tempore æſtivo, urgentibus radiis ſolaribus, in rimis & cavernis terræ, aut etiam ſub fruticibus latere, pluvia autem decidente evocari & exſilire concluderem. Gemella recitat *Th. Bartholin.* (*Diatr. d. Pulmon. ſ. 2. p. 25.*) ſvadent id, ſi curioſe examinentur, variæ circumſtantiæ. Æſtate namque (1) è Coleſtro illo ranarum genitali nil ſupereſt. (2) Stomachum cibo & inteſtina excrementis plena habent. Idem ſenſiſſe *Theophraſtum Ereſium ex fragmento libri, quem de animalibus ſubitò apparentibus* ſcripſit, & in Bibliotheca Photiana aſſervatur, *laudatus Olig. Jacobæus* (*c. l. p. 18.*) teſtatur. (4) Mutilæ, ſemivivæ aut exanimes tectis, ſcopulis aut terræ alliſæ ex tam alto loco deciderent, quod de muribus Norwagicis *Wormius* (*l. 3. Muſ. c. 23. p. 327.*) annotatum reliquit. Generationem in nubibus firmare videntur citati mures cum nebula fœtida deſcendentes. Sedenti ad parietem fœminæ aëre ſudo in ſinum delapſum eſt horum animalium unum, & cum Aſlacus Avuglandus ſcapha mari ſe committeret duo in cimbam in medio mari deciderunt, admirantibus ſociis, qui in eadem cimba erant, ſubſequente mox tempeſtate ingenti, cujus fortè prænuncia fuere. Narratum præterea *laudato Wormio* à ruſtico qvodā Norvago, cum hieme cū ſocio per flumē glacie concretum iter faceret, in media glacie decidiſſe in pileum & veſtem Bufonem ſat magnum, ſtupente, qui aderat, ſocio. Verum qui teſtudinem calvo dormientis *Æſchyli* vertici alliſam in aëre generatam credet, ideò quia ex aëre decidit, & hunc temporalium murium ortum non diffitebitur. Id *O. Magni* teſtimonio (*l. 18. Epit. hiſt. Sept. p. 448.*) etiam compertum eſt, ſtatim atque deciderint in viſceribus reperiri herbas crudas, nondum concoctas. Quomodo tandem murium ſperma, quod in teſtibus & uteris eorum reconditur, in ſublime trahet radiorum ſolarium virtus?

§. 206.

Pluvia illa, quam Meelthau vulgò appellitant (*p. 133.*) neſcio an cum ſtilla deſcendat, an radiis ſolaribus animalcula iſta prolecta in ſublime evolare geſtiant. Semina nam-

namque non ſunt, ſed animalcula & inſecta volatilia peſtem oleribus, lupulo & aliis herbis inferentia. Semina interim inſectorum ventorum impetu abrupta cum pluviis deſcendere *cum Sperlingio* (*med. in Scalig.* *v*. *p.323.*) aſſero. Idem fatum ſubeunt Erucæ, & alia inſecta, cum illa telis ac lanugine adjuvante mare aëreum feliciter tentent, & hac ratione araneæ fluvios tranſvolent, teliſque ſuis in utroque littore virentes arbores nectant conjungantque. Anates & Anſeres Sylveſtres imbres comitari mirum non eſt, cum humida aëris conſtitutione delectentur quam maximè. Vitulo verò aliquando pluiſſe narret & credat vitulus. Aut hoc eſt falſum decidit *Joh.Bened. Sinibald*(*l.1. Geneanthrop. tr.3. c.4.p.50.*) vel prodigioſè contigit, quia ſcilicet Dæmonum opera fuerat eo vitulus aliquis delatus, aut magna ventorum tempeſtate ſeu Ecnephia inter nubes abſconditus, ut *Conimbr.* (*in l. 2. d. cœlo c. 3. qv. 6. artic. 3.*) arbitrantur. Tranſtulit ventus *Cardani* Apenninum tranſeuntis, eqvum, cui inſidebat per duos paſſus, ut fermè præcipitaretur (*l. 16. d. Subt. p. 795.*) qvi nec fabulam *Poghii* relationem putat, qui ventis coactis integram cauponam translatam ſcripſit. Nivem ſangvineam, rubicundam potius, interpretor, qualis in Armenia à minio, de qua *Propert.* (*l.2.Eleg.3.*) *Et Mæotica nix minio ſi certet Hebero.* Præ vetuſtate condenſatam & pedibus conculcatam nivem rubeſcere *Ariſtoteles* (*l.5. hiſt. anim. c.19.p.946.*) *cum Plinio.* (*l. 11. c. 35.*) animadvertit, quibus adde *Iſaac. Schook.* (*diſc. Phyſ. d. Nive th. 14.p.6.*) quod & ſiccitati detulit *Marc. Ant. Alagmus* [*Conſult. pro ulc. Syriac. curat. c. 4.*] Particularum carnearum in nive inventarum, ut & pluviæ carneæ, cauſa obſcura eſt, modò non fuerint putaticiæ.

§. 207.

Ex nive prognaſci animalcula (§. *105. p. 133.*) non credo, in nive reperiri non repugno, cum ad oculorum teſtimo-

monium provocare poſſim. Conſpiciuntur illa gelu remittente, tempore meridiano aëre radiis ſolaribus illuminato non ubivis, ſed in ſylvis non nimio arborum proventu luxuriantibus. Non unius eſſe generis deprehendi; nec hirtos aut rubicundos (nivi recenti candidos, vetuſtiori rubicundos aſcripſit *Ariſtotelis* veſtigia ubivis ferè premens, aliquando etiam cor *Plinius*) ſed nigro partim, partim ſpadiceo colore, quoſdam pulicum more in nive condenſata ſaltantes, quoſdam tardo greſſu progredientes. Annotavit hæc *e Curioſis noſtris* (*in M. C. A. 3. obſ. 197. p. 390.*) *Exc. Dn. D. Frommann*, qui cum his quos vidi ferè conveniunt. Intra cortices arborum ſi rectè conjicio mimica morte extincti latent, & calore Solis animati in nivem prorepunt & proſiliunt gelu condenſatam, recedente autem Solis gratia nidos ſuos repetunt, niſi nive mergantur & intereant. Qui verò cum nive ceciderunt vermes *à Nobiliſſ. Carolo Raygero.* (*Dec. 1. M. C. Ann. 4. obſ. 89. p. 80.*) & *Dav. Spielenbergero* [*Dec. 2. Ann. 2. obſ.* 110. *p. 264.*) & *C. L. Dan. Gvielh. Möller* (*medit. de inſ. Hung. prodig. p. 21.*) deſcribuntur, cauſamque horum ortus in ovula rectè tranſtulit *doctrina, ingenio, curioſitate & ſolertia nulli cedens noſter Schrœkius* (*in ſchol. ad obſ. Spielenberg. p. 265.*) Saliva cuculi non materia è qua vermis, ſed vermis productum teneræ videlicet locuſtæ ſpuma aut ſaliva. *Becman* (*d. prodig. ſangv. c. 3. §. 2. p. 26.*) vidit ſpumas pratis inſidentes menſe Majo, è qua locuſtæ generabantur, aliamq; in ſalicetis, è qua muſcæ exibant *Borellus* (*cent. 3. obſ. 41. p. 228.*) Jaculum aſtrale eſt ſubſtantia congelata, quæ ſubinde ſuper terra reperitur, & à vulgo, quaſi ſtellæ cadentis extinctionem ſuperſtitaret, eo nomine appellatur (*Rob. Boyle hiſt. fluid. & firm. ſ. 11. p. 20,*) Sperma aſtrorum eſt *Paracelſo*, (*T. 2. op. fragm.* Philoſ. *d. anim. nat. è ſodom. p. 284.*) ſatis quidem ridiculè, qui ubique in meteororum cauſis eruendis ridendum ſe propinavit. Noſtoch forſan eſt Chemicis, de quo (*c. l.*) *Borellus*, & hoc aëris ſubſtantiam participare *Helmont.* (*tr. d. magnet. vuln. cur. n. 44. p. 602.*) putabat. *Ald.* (*Lex. Al-*

chen. p. 348.) *Martin. Rulandum.* De ejus origine hactenus omnia incerta, quod ex hoc piſces fabula. In rore vermes ſunt, non ex rore, uti nec Angvillæ cum ex ovo prodeant.

§. 208.

Nullum animal ex aqua & terra (*ſſ. 106. 107. p. 134. ſq.*) niſi prius in ea occultatum depoſitumque fuerit animalis aut plantæ ſemen. (*Rob. Boyle. p. 6. Chymiſt. ſcept. p. 231.*) Mures ex limo & putri materia generari delirium, cum mercibus in naves importantur ut è *Franzio* (*tr. 4. Hiſt. anim. c. 7.*) *Sperling.* (*Med. in Scalig. n. p. 319.*) Lutum & quiſquiliæ non ſunt materia naſcentium ranarum & muriū intra lutum & quiſquilias raciocinatur (*c. l. n. 8. p. 270.*) *Kippingius*, ſed ſemen quoddam à ranis, erucis, angvillis emiſſum, in quod agunt radii Solis, & formam ingenitam promovent, ut operetur domicilium ſuum efformando, ranunculos, apiculas, erucas parvas excludendo. Fruſtrà igitur in qvæſtionem venit, an animalia & in his mures è putredine naturalibus ſint ſimiles? quod problema *à Petro Bono Lombardo* (*Margarit. pret. c. 15. p. 190.*) *ſcalig.* (*Exerc. 332. p. 1027.*) *Bened. Perer.* [*l. 8. d. cauſ. rer. nat. c. 16. & ſq.*] *Jaſone à Pratis* [*l. 1. d. uter. c. 1. p. 4.*] & aliis ventilatur.

§. 209.

Omnibus vel ſiccis humeſcentibus, vel humidis ſicceſcentibus creari animal poſſe *Ariſtoteles* [*l. 5. hiſt. anim. c. 32. p. 955.*] ſenſit. Nunquam tamen ex mente *Plutarchi* [*l. 2. Sympoſ. qv. 3. p. 194.*] viſum eſt ovum, quod è cœno eſſet concretum: ſed in ſolo animali coit atque naſcitur. Haud igitur firmo talo ſtabit antiquorum Ægyptiorum, Græcorum, Poëtarum & qui hos ſequntur [*ſſ. 110. p. 137. ſq.*] effatum ex putredine & terra hominem oriri. Caſtigarunt hos Jo. Aponus [*in ſ. 10. probl. Ariſt. 13. f. 97. ſq.*] *Scaliger* [*Exerc. 6. ſ. 6. p. 33.*] *Piccol. homin.* [*l. d. ortu è putri c. 9. p. 101.*] *Perer.* [*l. c. c. 16. p. 479.*] *Sperling.* [*Med. in Scalig. 14. p. 397.*] *Kipping.* [*l. 7. Inſtit. Phyſ. c. 3. p. 268.*] Hoc unum contra *Cæſalpinum* & alios reticere non poſſum, decernit *Sinibald.* [*l. 1. Geneanthrop. tr. 3. c. 4. p. 50.*] Si poſſunt homi-

mines & perfecta animalia abſque ſemine reproduci à Sole & cœlo (hos namque terræ addunt coadjutores, adeò ut Sol ſit maſculus, tellus fœmina. *Campanell. Phyſiol. c. 10. art. 5. p. 103.*] cur Deus plaſmator omnipotens in diluvio illo univerſali Arcã frabicari voluit, in qua cujuſque ſpeciei animalium mas & fœmina ſervarentur? Deus & natura nihil faciunt fruſtrà; igitur non erat opus tanto labore machinam illam immenſam ſtruere, ut caperet omnis generis animalia. Hoc ut crederent pagani & ſemi-Chriſtiani potuerunt hujus opinionis occaſionem ſumere ex iis, quæ continentur in ſacris literis, vel de formatione Adam, qui ex limo terræ à Deo fictus eſt, vel de generali diluvio concludit (*c. l.*) Pererius, adde ſupra (*§. 114. p. 141.*) Ludicrum idcircò eſt illud *Lucretii* tellurem longa nimium fœcunditate & tanto fœturæ tam variæ proventu laſſam ac quaſi effætam hoc deſtitiſſe miraculo homines parere, dum [*l. 5. p. 824.*] canit:

Sed qvia finem aliqvem pariendi debet habere,
Deſtitit ut mulier ſpatio defeſſa vetuſto,

quæ nihilo tamen minus cœtera etiam nunc omnia multitudine inenarrabili, & eadem cum ubertate in dies ac propè horas gignit, ut bene *Honorat. Maria Lautier.* [*d. fœt. Muſſ. p. 16.*]

§. 210.

Qværunt quomodo in alterum Hæmiſphærium à reliquis orbis partibus vaſto oceano ſejunctum Adamigenæ pervenerint, cum navibus eò ire non potuerint, indeque homines cum brutis ſponte ibidem ortos concludunt. Nodum hunc ut ſolveret *Paracelſus* [*l. 1. Philoſ. ſagac. c. 2. p. 345.*] in abſurdam cum inſigni impietate conjunctam opinionem delapſus, ſequentia petulante calamo eructavit: Und ſo mag ich nicht unterlaſſen von denen eine kleine Meldung zu thun, die in verborgenen Inſulen gefunden ſeind worden, und noch verborgen ſind, daſſ ſie von Adam zu ſeyn geglæubt mœgen werden mag ſichs nicht befinden, daſſ Adams

Kinder

Kinder ſind kommen in die verborgenſten Inſulen. Sondern wohl zubedencken, daſs dieſelbigen Leute von einen andern Adam ſeind: dann dahin wird es ſchwerlich kommen, daſs ſie Fleiſch und Bluths halben uns gefreundet ſeind. Und iſt das wohl zu bedencken, währe Adam in Paradeiſ blieben, es währe vielleicht ein anderer Adam worden. Doch vielleicht nicht mit den Bildniſs Gottes, als dann die neuen Inſulen ſeyn. Non opus eſſe tanta abſurditate doctiores præcedentis & præſentis ſeculi demonſtrare allaborarunt. Oceanum etiam olim ab antiquis trajectum nemo inficiabitur, qui *Joh. Schefferum* [*l. 1. d. milit. naval. c. 2.*] evolvet. Terrâ etiam patere aditum in illas regiones à quibuſdam confirmatur. Tranſierunt *ſcribit Tob. Adami* [*not. marginal. ad Th. Campanell. Phyſiolog. c. 10. p. 103.*] ex Grünlandia in Eſtotilantem: & ex Japonia in Quiviram; & ex Atlantica regione ad Braſilem erat tranſitus per Inſulam Atlanticam ſubmerſam in diluvio, ut *Plato* teſtatur [*in Atlantico*] Potuerunt etiam concreta glacie freta, quod *Georg. Hornius* [*l. 1. d. orig. American. c. 11. p. 108.*] ſuſpicatu, tranſire. Animalia verò bruta æqvè ac plantæ illis locis concreata, ex earum à noſtris diverſitate quilibet facilè colliget.

§. 211.

Quæ Poëtæ [*§. 114. p. 141.*] de Gigantibus prodiderunt, fide prodiderunt poëtica. Si, quæ de Salicis & Tage referuntur, [*§. 115. p. 142.*] vera ſunt, Dæmoni præſtigiatori debentur; cujus auſpiciis Tages, fortè & ipſe Dæmon, Hetruſcos magiam primus docuit. Carnem foſſilem [*§. 117. p. 143.*] natam in terris, diebus Jovis tantum, apud foſſores qvum comperiſſet *Hübnerus*, fraudis certus, impoſtores eoſdem carceribus mancipavit, ut *Ejus ad Libavium Epiſtola* teſtatur.

§. 212.

Paradoxum & teratologum illud *Burrhi* ingenium

nunquam è metallis putreſcentibus(putredini namque propriè tali non ſubjacent ut benè *Exc.Dn.D.Bohnius*[*Diſſ.Phyſ.Chym.9.§.4.*] inſecta finget, [*§. 118.p. 144.*] niſi prius in ſinum eorum depoſuerint ſua ova muſcæ, quod & de ſale [*§.119.*] compertum eſt,ut & de Sacharo, de quo *Th. Bartholin.* [*Vol.1.Act.Haſn.obſ.54.p.107.*]

§. 213.

Vermes [*§.120.p.145.*] lapides erodentes teſtaceorum quandam ſpeciem conſtituunt, exque ovis ſubviridantibus teſtam obſidentibus, ut *Dominus à de via* [*c.l.p.373.*] obſervavit, prodire. Singularem etiam ſpeciem Bufones & ranas in Lapidibus conſtituere, quod cavernis elatæ rumpantur & pereant teſtimonio eſſe poterit. Et has ibidem ova ſua aut ſemen in limi ſubſtantia paulatim lapideſcente ponere *Kirchero* [*l.8. M. S.S.4.c.1. p.92.*] aſſentior, ut & *Delrio* de aurea catenula bufonis in ſaxo inventi, ſi vera eſt hiſtoria, judicio. Et quæ de ranis & bufonibus dixi, ſerpentibus & piſcibus, ut & cancris & ſquillis (*§. 121. p. 146.*) applicari poſſunt, niſi etiam [*c. l.*] data *Kircheri* conjectura locum, quod ferè non credo. invenerit. Vidit *Stengelius*[*l.d.Monſtr.c.2.n.9.*] varii generis piſces è rupibus enatos, ſed qui lapideſcerent. Cur verò bufones, ſerpentes &c. licet innaſcantur ipſis ſaxis, non petreſcunt? Cauſam(*tr.di Lithiaſi c.1.n.14.p.662.*)hanc dedit *Helmont.* Qvod vitalem Archeum per ſeparationem receperint à petris ipſis: non ſecus atque ſeparatur pyrites, l. metallum à venis ſaxeis, quibus innaſcuntur, ſervantque illibatam materiam liquabilem. Itaque ſeparatus ille Archeus manet inſeparabilis à ſemine petroſo. Narratum *Borello* ; [*Cent. 2. obſ. 22. p.124.*) in lapide humano repertum fuiſſe ſerpentem, de quo quidem dubitare videtur *Sachſius* (*l. 1. Gammarol. c.8. §.5.p. 150.*) Lapidem tamen inteſtinalem Lumbricis prægnantem delineatum dedit *fide dignus teſtis Dn. D.Chriſtian-Erneſt. Clauderus* (*Dec.2.M.C.obſ. 197.p.393.*) Canes à *Neubrigenſi* in Lapide notati (*§.122. p. 147.*) nullum merentur punctum, portentum forſan diceres, aut præſtigias Dæmoniacas. Malus Genius, ratiocinatur *Schottus* (*l. 8. Phyſ. curioſ.c.19.§.5.p.838.*) cui

facile

facile id eſt, viam in petra aperuit, & canes tali carceri incluſit aliunde allatos, cum reperti fuêre. Saxei qvi ſint homines imò & ferrei (*§. 122. p. 147.*) hariolo non eget. Multa collegit *Barthius* (*in Stat. l. 4. Thebaid. v. 340. p. 1030.*) duri ſunt, immiſericordes, laborumque patientiſſimi.

§. 214.

Unde in Plantis, fructibus, arboribus earumque ſpongiis, ſtrumulis & excreſcentiis, fructibus & baccis vermium agmina, ex his quæ (*§. 169. p. 188. ſq.*) adduxi clarum evadit. Miror credulitatem *Digbæi*, quanti viri! (*§. 126. p. 150.*) in relatione creditu dura, vereque fabuloſa Nec ſi experimento rem committas, hiſtorias multas à credulis potius quàm expertis annotatas deprehendes. Ex ocymo contrito aut manſo & in ſole poſito, aut ſub terra tepido loco putrefacto ſcorpiones oriri multis perſvaſum (*§. 125. p. 149.*) Legat quis hiſtorias *à Fried. Hoffmanno* (*l. 4. Clav. Schrœd. ſ. 1. §. 62 p. 420.*) collectas, fruſtrà tamen apud nos id tentari non ſolum *Excell. Dn. D. Wedelius.* (*Dec. I. M. C. Arm. 3. obſ. 79. p. 135.*) expertus eſt, ſed ipſe fruſtraneum aliquoties experimentum feci. Id verò cur in Italia procedit? Reſponſio prompta eſt, quia in Italia ſcorpiones. Scorpiones autem ſub fictilib⁹, in quib⁹ Baſilicũ colitur, libenter ſtabulari ſæpius Venetiis obſervavit *Camerarius* (*in Horto p. 109.*) Quod ſi tamen aliquando felicem accidiſſe eventum graves teſtentur Autores, crediderim *cum D. Georgio Sebaſt. Jungio* (*in Schol. ad obſ. Wedel. p. 136.*) in Ocymo Italorum, cui caſualiter vel ipſi ſcorpiones exigui vel eorundem ſemina & ova adhæſerunt, quæ calore Solis deinde excluſa, & in perfectam magnitudinem perducta raræ hujus metamorphoſeos fuere autores, eveniſſe: familiare enim eſt in Italia ſcorpiones arboribus, herbis, floribus ac plantis copioſè inſidere. Falſum igitur id dudum pronunciavit (*l. 2. d. alim. facult. c. 56. p. m. 146.*) *Galenus*, cui pollicem premit ipſe (*d. inſect. p. 108.*) *Franciſcus Redi.* Salviæ foliorum externa ſuperfices microſcopio examinata *Kirchero* (*Scrutin. d. peſte ſ. 1. c. 7. §. 2. exp. 3. p. 72.*) quod repetit (*l. 12. M. S. ſ. 2. c. 6. p. 388.*) textura quadam araneárum, intra quam minutiſſima comparent animalcula cum ovis candidis, quæ compreſſa, utut atomi videantur, ſtrepitum edunt, conſtat. Sed hæc lanugo potius quædam eſt absque vermibus, quæ hyeme totum foliolum abundè tegit, fortè ut à frigoris injuria tuta maneant,

ant, quod microſcopio armatus *D. Joh. Paterſon. Hain.* (*Dec.1. An.2.obſ. 27.p.53.*) obſervavit. Sed nec hæc ratio militat, cum temporariæ plantæ lanuginoſæ, ut Tuſſilago, Althea, Scarlea, Petaſites, & ipſa quæ Moxæ Germanicæ putatur mater (*vid. Dec.2.M.C.Ann.1.obſ.6.p.16.*) Artemiſia teſtimonio id ſatis luculento approbent. Merentur huc transferri, quæ *magni Patris magna ſpirans Filius Dn.D.Joh. Georg Volckamerus* de folio Salviæ glandifero (*Dec.2.Ann.7.M.C.obſ.251.p.468.*) inſeruit. Avellanas deprehendimus ſæpius verminoſas, dantur tamen in Inſula Huena ex obſervatione *Noſtri Arionis* (*obſ.84.p.56.*) quæ nunquam à vermibus arroduntur. Polygoni cocciferi radices monſtrant baccas, & hæc ovula eſſe & conceptus vermiculorum *ex Simone Pauli* (*Quadrip. Botan. d.2.p.173.*) & *Barthol. Zornii* (*addit. ad Herbar. Pancoo.p.318.*) demonſtrat, vermiculosque microſcopii fide examinatos exactè deſcribit *Nobiliſſ. J. Chriſtoph Becman.* (*Exerc.d.prodig.ſangu. c.3.§.1.p.24.ſq.*)

§. 215.

Ad illa quæ de perfectioribus animalibus è vegetabilibus (*§.131. p.154.*) retuli; paucis me converto. Mus Napelli, quem antidotum prædicat (*l.2.p. Subtil.rer.p.140. ſq.*) *Cardanus*, ſuſpectus *Velſchio* (*Hecatoſt. 1.obſ.54.p.71*) Dixerat *Abudi Ibn-Tſina* (*c.l.*) Priſh muſh Butea, Antiphtora (ſic namque rectius Anthoram dici judicat) herba eſt. Si herba eſt, non eſt animal. Et ſi animal ſive mus eſt, cur tamen ſimilitudinem tantum muris referre dicitur? Si veri quicquam ſubeſſet, non cauſam utique haberent ullam, qui de agno vegetabili Scythico dubitare coguntur. Quin plura etiam animalia plantaria dari forſan negandum non eſſet. *Hæc Velſchius.* Mus eſt, ut Gammarus ille *Martini Bernardi à Berniz* vegetabilis è radice Paſtinacæ Gammarus verus. (*M.C. Dec.1. A. 2.obſ.98.p.173.*) ita radix Contrayervæ quaſi omnium animalium venenatorum effigies, ut inde cognoſcatur eorum eſſe antidotos, *Nardo Antonio Recho* (*l.8.rer.med.nov.Hiſp.c.58.p.302.*) referre dicitur. *Subtiliſſimum Scaligerum* frondes arboris in Juvernæ fluvium collapſas piſcium formam induere, in terram avium (*Exerc.59.ſ.2.p.214*) crediđiſſe eſt quod maxime miror. Quæ de hirundinibus è foliis arborum & aviculis è floribus apud Sinenſes, fabulis Sinicis annumerantur, idque eadem prorſus ratione fieri *cum illuſtri Franciſco Redi* (*Experim.nat.p.187.*) credo, qua naves Æneæ in Nymphas marinas, & frondes ab Aſtolpho in mare A-

fricanum ſparſæ in navigia bellica abierunt, ut *fabulator Arioſtus* narrat. Fruſtraneum igitur *J.P.Fabri* ſtudium, qui (*Hydrogr. Spagyr. c.6.p.66. & l.3.Panchym. ſ.6.c.5.p.368.*) hujus transmutationis rationes dare occupabatur. Nec verior eſt de avibus è ſalvia aut cichorio relatio (*Marc. Aurel. Severin. Seilomaſtig.p.2. §.1.p.69.*) Fabula de Anſeribus Scoticis abundè refutata eſt primo *à Carolo Cluſio aliisque plurimis*, & poſteà *à Doctiſſimo Deuſingio (in tractatulo de Anſeribus Scoticis)* Et Jacobus Waræus (*in l.antiqu. Hibern.*) cum nonnullorum de generatione harum avium ſententiam retuliſſet prudenter conludit: In re, quæ plenius ſcrutinum mereri videtur, nihil definio. *Hæc (c.l.p.192.) Redi:* Rationem quidem hujus producti dare allaboravit (*l.3.Mund.magn.p.5c.1.conſ.3.p.493.*) *Kircherus*, qva tamen parum proficit. Oriuntur per incubatum ex ovis more aliorum anſerum, & Hollandi 1569. ſcrrpto teſtati ſunt, ſe circa novam Zemblam in has aviculas ova ſua foventes incidiſſe. *Vide Schottus (l.9. Phyſ.curioſ.c.22.2.976.) Marcus Marci (p.3.Philoſ.vet. reſtit. ſubſ.4.p.292. & p.4.ſ.5.p.456.) Henric.Kipping. (l.8.inſtit.Phyſ.c.18.p.363.)* Oſtrea non eſſe arborum fructus ipſæ relationes evincunt. Meretur ut hic audiamus *Th.Bartholini (Cent.6.hiſt.46.p.273.)* conjecturam. Mihi ſemper viſæ ſunt Conchæ ſui generis, non avium feraces, ſed ſui generis, vel inſectorum, vel vermiculorum, ſicut pro concharum aliarum varietate varia animalcula recondi obſervamus, in buccinis cancellos, in balanis & tubulis vermiculos. Rudimenta interiora vix referre poſſunt avium pennas. Univerſam concham replent, ut pro capite reliquoque corpore parum ſuperſit. Quod caput eſſe debet, rotunda eſt portio quaſi muſcæ majoris. Certè pennæ avium in ovis ſuis parciores cernuntur, & in excluſis magis excreſcunt. Quantum accuratiori oculo & microſcopio aſſequi potui, videntur potius cancelli cujusdam vel aranearum pedes, ſubtili lanugine eleganter & certo ordine deſtinati, hirſuti ſicut in buccinis, ita & in his conchis, non anates, ſed cancellos ſui generis enaſci ſit veroſimilius. *Hactenus Th. Bartholin.2.* De conchis falſis gravidis anſeribus *Cornel. Stalpart. var der Wiel. (Cent.2.obſ.47.p.458.)* De verme Coryli nutrimento Lactis in ſerpentem tranſiente (*§.133.p.158.*) *alibi* (*M.C.Dec.2.A.8.obſ.157.p.341.*) *& ſupra* (*§.175.p.193.*) propalavi ſententiam, quam *in Coryleto Curioſo* plenius, cum Deo, explicabo.

§. 216.

Et quid ſtultius, quam primum hominum genus ex fraxino eſſe progenitum (*§.134.p.158.*) ſed fuit quidam *Melius*, atque ab eo dicebantua Meliæ fœminæ, quemadmodum Hellenes ab Hellene, ab Jone Jones. Ita *Palæphatus* (*περὶ ἀπίστων c.36.p.169.*) Quæ hic de *Melio* habet *Palæphatus* non multò ſaniora *Barthius* (*in Stat.l.2.Thebaid.v.560.p.828.*) pronunciat. Hyperbole eſt Poëtica, *addit*, non aliter ex fraxino, quam etiam aëre & ferro homines producens. Et mirum dubitare potuiſſe viros tantæ ambitionis, cum planè æreos homines, qui etiam non comederint, produxerit *Muſa Aſcræi Senis*. Quid fecerint illi Græculi *Maroni*, qui prorſus truncis exſculpit primos Italiæ ſuæ cultores dicam, an colonos. Finxit natos ex arboribus, *decidit Phil. Melanchton.* (*Enarr. in Heſiod. F.2.*) ut ſignificet duritiem animorum, quia Soboles imitatur naturam á quibus procreeta eſt. *Add. Paul. Patrem* (*Doctrin. moral. ad. c.36.* Palæphat.*p.253.*) Qui è blito Apollinem fingunt blitei ſunt. Priapus denique non è ficu natus, ſed fictus ficulnus *Horatio* audit. (*Rappold. comment. in Satyr. Horat. c.23.p. 186.*) Non igitur *mihi tellurem fœcundis imbribus udam,*

Ac radiis Phœbi tepefactam animalia prima
Primævosque homines nullo formante tuliſſe
Commemoret quisquam: miſeri nec plaſma Promethei
E terra obtrudat: nec cum jeciſſet in orbem
Deucalion orbis ſcopulo poſeſſor in uno,
Duros poſt tergum lapides, mox inde creatum
Eſſe hominum durum genus inſtillare laboret:
Credere nec jubeat ſparſos à Jaſone dentes
Produxiſſe alacres in mutua vulnera fratres:
Myrmidonasque ortos formicis, unde laboris
Gens fuerit patiens, nec parti prodiga victus:
Fœcundoque ſatos primum Curetas ab imbri
Inque Ephyre quod vulgatum, mortalia quondam
Corpora in hanc lucem pluvialibus edita fungis.
Hæc etenim veterum mera ſunt mendacia vatum,
Quæ nos ſcire ſat eſt, ſed credere velle nefandum.

[*Joh. Pincier. l. 4. et. Marpurg. p. 175.*]

§. 217.

§. 217.

In Brutis & hominibus viventibus vermes progignuntur(*§. 135. p. 160.*) non ortu ſpontaneo è putri, ſed ex ovulis reſpiratione attractis, cum potu abſorptis, cum cibo ingeſtis. A multis recepta, dura tamen mihi *Joſephi Gallarati Medici & Phyſici acutiſſimi* (*l. 2. Syſtem. renovat. Phyſici. med. c. 12. p. 298.*) ſententia, qva ſtatuit vermes ſua ſemina per totam terram diſpergere, & hæc ſimul cum alimentis attrahi à plantis, neque perfectè coqui. Quod ſi poſteà fructibus vel foliis iſtorum veſcamur, ita tamen, ut moleculæ ſeminales vermium deliteſcentes adhuc non diſſipentur à calore noſtro, vermes ex his etiam in nobis produci. Ova namque vermium radicum fibras attrahere facilius dicitur, quam demonſtratur, mucaginem autem ſeminalem ex ovis ruptis prodeuntem attractum proli verminoſo generando ſufficere pernego. Hoc verò libentius darem *laborioſo iſti Phytoptæ I. B. Portæ* (*l. 5. Phytognom. c. 8. p. 315.*) aſſerenti herbas & fructus facilè vermiculantes ingeſtos vermes in corporibus noſtros producere, non quod verminoſa humiditas ſub eorum ſucco occultetur, ſed ipſa vermium in illos depoſita ovula. Et hæc ovula ſi non à fermentis ventriculi & inteſtinorum ſubigantur, aut unà cum excrementis ſegregentur & egerantur, ſed Chyli particulis miſta non raro per lacteas Sangvinis oceanum petunt, & ad partium variarum cavitates vehuntur, ibidemque deponuntur, & accedente loci calore congruo foventur & excluduntur. Qvæ in partibus externis nidulantur inſecta etiam ovis ſuum debent ortum, quippe quæ capillis mucilagine allinuntur ut pediculorum lendes, aut etiam pororum cutis cavernulis infiguntur & ingeruntur. Si ex animalibus mortuis inſecta, (*§. 137. p. 164.*) eorum ova etiam à muſcis illis quaſi implantata. Si è ranarum aut bufonum cadaveribus ranæ & bufones, ova in illis delituerunt. Idem de Anatibus in ranas & bufones

faces

faceſſentibus ratiocinandum. Apes in cadavere nidulari poſſe, Leonis cadaver (*Judic. c. 14. p. 8.*) fidem faceret, niſi miraculum fuiſſet, prout aquarum è dente aſininæ maxillæ ſcaturigo; (*c. 15. v. 19.*) ſed naturaliter id contigiſſe ſi conceſſero nil probabit, cum aliud ſit eſſe in, aliud è cadavere juvenci aut Leonis. Accidere poteſt ulceratis & vulneratis, quod Ruſtico accidit, de quo Magnif. *D. Chriſtian. Menzelius* [*D. 2. M. C. A. 2. obſ. 57. p. 95.*] cujus auri purulento muſæ ſua agglutinarant ova & vermes auri moleſtiſſimos hoc modo ingeſſerant. Ridicula præterea concluſio eſt fucus compreſſus parte poſtica aliquid taurino capiti ſimile vibrat, ergò ortum ſuum taurino cadaveri debebit. Quidni concluderē, ergò è fuco taurus? Hominis è piſce ortus (*§. 138. p. 166.*) fabuloſus nulliuſq; momenti.

§. 218.

Quæ de ſangvinis humani inquilinis vermibus [*§. 138. p. 167.*] proferuntur dilucidationem aliquam merentur. Viderunt hos *Borellus & Kerckringius*, præter hos, ſi rectè memini, nemo, & ne ipſe quidem *Curioſorum Lyceus Lœwenhoock*, qui, *teſte clariſſimo Schradero* [*Epiſt. d. Microſop. uſ. in nat. ſcient. & Anat. p. 32.*] ſangvinem innumeris globulis rubicundi coloris in pellucido ſero natantibus unà *cum Nobil. D. Caſparo Bartholino* [*Vol. 3. Act. Haffn. obſ. 3p. 7.*] conſpexit. Microſcopii fidem in Anatome ſuſpectam quodammodo reddidit *Kerkring.* (*Spicil. obſ. 93. p. 177.*) *Beccherus* [*l. 1. Phyſ. ſubt. ſ. 5. c. 1. p. 296.*] notavit, qvod fermentationis modi quoad raritatem differant. Ita vinum cum fermentat bullulas ejicit mediocres, ſaccharum minores, cereviſia majores, Sangvis ſpumoſus fit, & oblongas bullulas ejicit, tenuiſſimas tamen & vix viſibiles, quod fortè in cauſa fuit, *addit*, quod aliqui microſcopiis utentes has ſtrias viderint quas pro vermibus pronunciarunt. Sangvis multo muce tenaciſſimo mixtus verminoſum glaucoma, *teſte D. Daniele Wincklero* [*Dec. 1. M. C. Ann. 6. & 7. obſ. 56. p. 88.*] oculis objicit. Sal in ſuperficie, ubi ſangvis perfrixit, efflorescens, non vermes eſſe conjecit *Haffnienſium olim Hippocrates D. Simon Pauli.* [*c. l. 3. q. B. p. 343.*] Dubium circa hoc phænomenon his propoſuit [*tr. Alcati & Acidum p. 271.*] *Bernh. Swalbe*, verminoſam, *diſſerit*, progeniem tàm indubiam (in Sangvine) eſſe putas? Inter

ter rariſſima, ut eam vix tolerem,plura ſvadent. Microſcopium vermes plerumque falſò repræſentat, dum res exiles grandefacit. Vitrum intercedens faciem vermium exhibere poteſt, ubi reverà ipſimet pugiles (quo nomine *Baſilium Valentinum d.L.P. Clav.2.p.m.61.* acidum & alcali inſignire indubium eſt) ubi in ſuperficie ſangvinis extra venati & refrigerati volatilitatem ſalinam trahunt, variis ſubduntur figuris, quibus vermiculos falſò depingunt. Imaginarius inde quaſi ſpontaneus viventium motus exoritur. Nec ſine cauſa ideò monet *Martinus Schockius l.d. Ferm. c.25.p.450.*) grandiores ſpecies juxta quam viſui ſe res minutæ ope microſcopii exhibent, ſæpè juxta analogiã duntaxat eſſe explicandas.

§. 219.

Quæ de monſtroſis ex utero vermibus (*§. 141.p.168.& ſq.*) referuntur, paucis trutinanda. Nullum hic locum invenit *Savanarolæ* [*Pract. maj.tr.6.c.27.rubr.27.f..265.*] conjectura, aſtruentis: Animalia in utero produci, ut lumbrici in inteſtinis. Phantaſiæ matris ex parte debentur, ut alia monſtra, mures, piſces & reliqua animalia, niſi divinum quid ſubſit, molas tali figura ſignatas cenſeo, motus nil obſtat, cum variæ vibrationes & contractiones in quibusdam partibus vel ſangvinis & ſpirituum periſtalticus quidam motus aliquatenus vitam adumbrare videantur, ut benè *Joh.B.de Lamzweerde* [*hiſt.nat.molar.ut c. 2.p.23.*] colligit. Poterit & fœtus deliteſcens involucrum ſuum ſive placentam monſtroſam motu ſuo inpalpitationem illam agitare, ut egregiè *Schrœkius noſter* [*M.C.Dec.2.A.3. Schol. ad obſ.157.p. 305.*] colligit. *Prælaudatus* ideo *D. Lamzweerde* molam generationis carneam in mobilem & immobilem, ſive vivam & vitæ expertem (*ib.p.22.*) diſtinxit. Et de hac vita magis ſobriè ſapiendum, *monet idem*, quam per vanas fœminarum traditiones nobis obtruditur, ac ſi aliquando per cubicula curſitando ſaltationis exſolverent comœdiam; adeò vehementi ſæpè impetu, ut vel glirium vel felium inſtar parietes & feneſtras aſcendant, quas, canum inſtar, venatum eunt, ut ipſis vitam quam non dederunt, ſine miſericordia adimant, quia portentum clamant cœleſtis iræ ſignum, pulvinarium preſſura ſuffocant, ne vano terrore cives vicinos & amicos percellant. Verum cum hæc in Naturæ libro meræ ſint fabulæ & ineptiæ, nullum à doctis merentur ſcrutinium. *Et paulo poſt*: Me herculè! dum in prole perfecta vix ante annum obſervetur motus progreſſivus, quis ſanè mentis

tantam agilitatem in informi concedet maſſa. Referri huc merentur conjecturæ *Theod. Kerkringii* (*Spicil. obſ. 38. p. 81.*) De ſerpentibus vivis perfectisque ſine & cum fœtu excluſis difficilior eſt ratio. Semina parentum ex malâ ſive ſua, ſive uteri qualitate in materiam, ex qua ſerpentes in utero ſponte naſcantur abire *Liceti* (*l. 2. d. Monſtr. c. 3. p. 63.*) ratio eſt, ſed inſufficiens, imò nulla. Ejusdem monetæ eſt illa *Joh. Marci Marci* (*l. d. Ideis operatric. c. 8:*) In utero fœminæ nihil repugnat concipi & perfici aut piſcem, aut aliud animal, ſive ejus ſemen coitu, ſive aliâ ratione ad uterum perveniat: poteſt enim forma piſcis aut animalis ineſſe illi parti, quæ a corpore in ſemen eliquatur, quia nimirum illius ſignaturæ nequeunt aboleri per illas mutationes, quibus alimentum in chylum & ſangvinem concoquitur. Ingenii judiciique imbecillitatem hic profiteor, niſi aut ad ſublimiorem cauſam mentis oculos dirigas & ex maledicto cum infernali Dracone coitu patri gemellum partum hunc deducas, aut prodigii loco id habeas, aliquando etiam magicas præſtigias non excludas. Adde, ſi placet, *Martin. Delrio* (*l. 2. disquiſ. mag. qv. 14. p. 378.*) Videntur etiam quædam animalia parere, quæ ipſis non advertentibus uteri ſubierunt cavitatem. Hoc modo peperit fœmina cancrum, cui ad fontem conſidenti, nudis pedibus limpidæ aquæ immerſis, in ſomno cancer non adeò magnus forte arreptans ad uterum usque pertigerat. [*Alex. Inſulan. Brev. rer. memoral. c. 63. p. 216.*] In ſinum uteri murem aliquousque penetraſſe quidam *ap. Felic. Plater.* [*tr. 3. Prax. med. c. 16. p. 1023.*] teſtabatur. Ovum gallinaceum virginis Weſtphalæ utero diu noctuque aliquot ſeptimanis inditum, & ob vitam ſedentariam continuo in ventre geſtatum abſolutum & pipientem pullum, ex relatione *Noſtri Paulini* [*obſ. med. phyſ. 54. p. 34.*) luci expoſuit.

§. 220.

Pediculos vivos quidam Ictero detenti deglutiunt, quartanariis exhiberi à plebeis *Joh. Colerus* [*l. 18. Oecon. c. 113. p. m. 941.*] annotat. Sed hæ beſtiolæ in corpore ſe multiplicant, & pernicioſam parere Phtiriaſin poſſe luculento teſtimonio *Paulini* [*obſ. phyſ. med. 60. p. 37.*] iterū conſtat. Quod ſi aër aut aqua Syllanis iſtis vermibus ſcateat, quod in Ungaria contingere [*Decad. 1. obſ. Ungar. 9. Schol. p. 49.*] retulit *Tobias Colerus* res expedita eſt. De Tumoribus igitur pediculoſis hæc *Nopiliſſ. Schrœckius* [*Dec. 2. M. C. Ann. 4. Schol. ad obſ. 12. p. 41.*] annotavit: Ex ſeminio proprio in-

peri-

peripheriam corporis delato prodire veroſimilius aſtruitur, ſive jam animalcula illa cuticulam & cutem perfodientia in vulnuſculo inflicto, quod ab exſudante è vaſculis hiantibus glutinoſo alimentario ſucco dein iterum conſolidatur, hoſpitium ſibi quæſiverint, aut ovula fœcunda ibidem depoſuerint; ſive etiam hæc ipſa ovula cum cibis deglutita, inque vaſa Chylifera & ſangvifera ſuſcepta una cum alimentali ſangvine illuc delata, ibique excluſa fuerint.

§. 221

De ſerpentibus cadaverum progenie (§. *146. p. 174.*) cum *alibi* [*l. 3. d. mirac. mort. Tit. 1.*] pluribus ſcripſerim, inani repetitione Lectoris benevolum non detinebo animum. Quæ tumbis apertis (§. *147. p. 175. ſq.*) muſcarum & vermium circa cadavera apparuerunt agmina, muſcarum antequam æſtivo iſto tempore conderentur, fuerunt depoſitum. Piſces cadaverum fluminibus injectorum carnem appetentes circa illa congregantur, neutiquam verò ex illis generantur. De capillorum in ſerpentes aut angvillas mutatione, (§. *149. p. 176.*) quæ produntur, majorem certitudinem requirunt. Thomas hic ſum, ubi videro credam, & rationes eruere conabor. Vermes vivunt in excrementis, urina, pure, ſangvine menſtruo, (§. *150. & 151. p. 177.*) non aliter ut in caſeo, aceto & reliquis humoribus, ſed non ex illis generantur. Quæ de Baſiliſco è menſtruo progenito memorat *Paracelſus*, ſubleſtæ fidei à curioſis decernentur. Stultus eſſet, & non ſano inſanior, qui è carne humana hominem reſuſcitare conaretur. (§. *152. p. 178.*) Dei id eſt non hominis. Quæ de Papielo hiſtorici referunt (§. *153.*) vindicem Dei oculum arguunt.

§. 222.

VI. *Illa animalium in* ζωοτόκα, σκωληκοτόκα *&* ὠοτόκα *diſtinctio ex dictis non accurata, & amplius admittenda videtur. Ariſtoteles* [*l. 1. hiſt. anim. c. 5. p. 831.*] animalia ita diſtinxerat, ut alia perfectum ani-

mal, alia ovum, alia vermem gignerent. Vocat (*c. l. & l. 2. d. gen. animal. c. 1. p. 1242.*) ovum ex fœtibus perfectis ex cujus parte principio animal conſiſtit, reliqvum verò alimento ei, quod gignitur, eſt. Vermis ex quo toto animal totum per ſubjecti fœtus formationem incrementumque gignitur. Ex ovo perfecta animalia, quæ ſangvinea dicimus; ex verme imperfecta & exſangvia, *ſecund. Eundem* [*l. 2. d. gen. animal l. c. 1. p. 1242.*] Nullum idcircò ſponte ortum ex ovo fieri, ſed verme, cum ovum niſi ab animali fiat, docuit *Andr. Cæſalpin.* [*l. 5 q p. 1. f. 107. a.*] Et quamvis etiam ex ovo inſecta quædam generari multis in locis aſſerat *Ariſtoteles*, ovum tamen illud impropriè dici *Hieror. Fabric. ab Aqvapend.* [*d. format. ovi & pulli c. 1. p. 20.*] cenſuit, eò quod totum ovum, nullo relicto alimento, quod in ovo propriè dicto fieri conſvevit, in vermem transmigret, cujus actionis exemplum papilionis quoddam genus *Philoſophus* [*l. 5. hiſt. anim. c. 19. p. 944.*] commemorat. Illud eſſe heterogeneum; hoc homogeneum, idque hac de cauſa [*c. l.*] *ap. Philoſophum* fluidi nomine venire *Aquapendens* [*c. l. c. 3. p. 47.*] voluit.

§. 223.

Sed hæc gratis dicuntur, cum ex ſuprà dictis conſtet, omne animal ex ovo generari, & ſi hoc ovum, ex quo animal procedit, propriè ovum dicendum, cum ex eo procedat, ſi non primo ſtatim partûs tempore, ſucceſſivè tamen vivens in ſimilitudinem naturæ. Nec vermis qualis tandem ſit, immediatè ab animali prorepit, ſed ex ovo, adeoque nobilior & perfectior ſuo ovo, cum jam actu vivat, qui in ovo potentia tantum vixit. Immeritò igitur *Ariſtoteles* (*l. 2. d. gen. c. l. p. 1244.*) ova inſectorum vermem imitari aſſeruit, & temerè vermem ovum imperfectum *Andr. Cæſalpinus* (*c. l. f. 106. b.*) pronunciabat. Nec maſſa illa oviformis in quam vermis tranſit, ovi nomen meretur, ut vulgò quidem putant, ſed receptaculum eſt vermiculi in papilionem tranſmutandi. (*Conf. ſupra §. 9. p. 61.*)

Et

Et ob hanc rationem *ſecundum Ariſtotelem (c.l.)* vermiculi tempore procedente in ſpeciem ovi (non verum ovum) tranſeunt.

§. 224.

Nec diſtinctio illa *Aquapendentis* acumen prodit philoſophicum, dum ovum impropriè ipſi dictum aliud primogenium, & ſecundum aliud *(c. l. c. l. p. 20. & c. 2. p. 46.)* vocavit. Primogenium quidem, quod in toto generationis curſu & ſerie unicum eſt, ut in muſcis, apibus, veſpis, formicis. Secundum quod à principio non apparet, ſed à principio vermiculus eſt, qui poſteà auctus ſeſe in folliculum includit, qui ovi ſpeciem refert. Nec rectè interea inſecta, quæ ex ovo unico & duplici prodeunt, diſtingvit *Idem [c. l. c. l. p. 20.]* nec accuratè tertia generatione demum inſecta exemplo erucarum perfici *[c. l. & l. 3. d. gen. anim. c. 9. p. 1292.]* concludit *Ariſtoteles.* Siquidem mutationes iſtæ novæ generationes ineptè dicuntur, cum ad perficiendum viventis corpuſculum ſint tantum medium & via.

§. 225.

Amplector decretum *Harvei (Exerc. d. gen. animal. 1. p. 2.)* Cum omnia animalia dici poſſint quodammodo ex ovo, & quodammodo ex ſemine oriri, à partu potius, quam à prima origine, ovipara, vivipara ſive vermipara dicuntur, quoniam vel ovum, vel vermem, vel vivum animal pariunt.

§. 226.

VII. *Ova ſeu ſemina prædicta ex Atomis componuntur, & in eaſdem reſolvuntur.* Antiquiſſima eſt de Atomis, rerum primordiis & principiis, Philoſophorum ſententia, quam *Moſchus Sidonius* ante Trojana tempora *Poſſidonii* teſtimonio, *autore Strabone [l. 16. Geograph.]* jam aſſeruit. Secuti hunc *Leucippus, Anaximander, Democritus, Epicurus, Anaxagoras cum aliis,* & è Poëtis latinis *Lucretius.* Noſtri etiam temporis Philoſophi hanc doctrinam interpolarunt & amplexi ſunt. Et cum unusquiſque ex antiquis peculiares de his ſibi formaverit

conceptus *Democriti* explicavit & ſtabilivit *Joh. Chryſoſt. Magnenus,* [*in Democr. reviviſcente*] *Epicuri* ſumma induſtria expolivit *Petrus Gaſſendus,* [*in Philoſ. Epicurea*] *Anaxagoræ Ioſephus Gallaratus* (*in ſyſtemate Phyſiologiæ Medicæ renovato.*)

§. 227.

Et hanc Philoſophiam Atomicam ſive corpuſcularem ipſe Platonis decretis prætulit *Ariſtoteles* (*l. 1. d. gen. & corr. c. 2. t. 5. p. 684.*) eamque à facilitate laudat *Magnenus* (*c. l. diſp. 2. c. 2. propoſ. 19. p. 157.*) Hæc *Verulamii* ſententia (*l. 1. nov. organ. n. 63. col. 290.*) aliquid ex Philoſopho naturali habet, & rerum naturam, & experientiam & corpus ſapit: ubi *Ariſtotelis* Phyſica nihil aliud, quàm Dialecticæ voces plerumque ſonat, quam etiam in Metaphyſicis ſub ſolenniore nomine, & ut magis ſcilicet realis, non nominalis retractavit. Propenſum etiam in Democriti atomos animum his (*cogitat. d. Natur. rer. cogit. 1. col. 713.*) declaravit: Doctrina de atomis aut vera eſt, aut ad demonſtrationem utiliter adhibetur. Non facilè enim eſt naturæ ſubtilitatem genuinam, & qualis in rebus ipſis invenitur, aut cogitatione complecti, aut verbis exprimere, niſi ſupponatur atomus. Habet id commodi Philoſophia *Epicuri. Verulamio* ſubſcribit *J. B. du Hamel.* (*l. 2. d. conſenſ. vet. & nov. Philoſoph. c. 3. n. 1. p. 642.*) quod intellectu non ſit difficilis, nec multitudini terminorum involuta: ac ſi minus vera, tamen apta ſunt inter ſe & cohærentia hujus diſciplinæ Elementa, neque à ſenſibus abhorrent, nec ab ipſa fortè natura, quæ à parvis initiis ad ſumma progreditur.

Præterea niſi erit minimum; parviſſima quæque
Corpora conſtabunt ex partibus infinitis,

[*Lucret. l. 1. d. nat. rer. v. 608.*]

§. 228.

Semina has dixere Philoſophi & Poëtæ, inter hos *Virgil.* [*Ecclog. 6. v. 32.*]

Namque canebat uti magnum per inane coacta
Semina, terrarumque animæque mariſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: ut his exordia primis
Omnia & ipſe tener mundi concreverit orbis.

Semina ἀτόμους dicit: [*in h. l. p. m. 25.*] commentatur *Servius.* Plura in hanc rem teſtimonia citat *Caſp. Barthius* [*in Claudian. l. 1. in Ruffin. v. 16. p. 1038.*] qui & vaga primordia (*Panegyr. in Conſul. Fl. Manlii Theod. v. 81.*) easdem dixerat. Semina autem rerum verè in his latere *Velſthius* [*Ex. d. ven. Medtn. c. 7. p. 194. ſq.*] docuit. Variæ rerum mixtarum facies, *ſcribit Joh. Franciſc. Vigani* [*Medull. Chym. præf. ad. Lect.*] qualitates & phænomena, nil aliud ſunt quam meræ diſtinctæ ideæ, ortæ à variis impreſſionibus atomicorum principiorum diverſimodè diſpoſitorum. Corpuſcula enim illa variè modificata ſunt unica Elementa & ſemina rerum; Aqua *Thalis*; Ignis & aqua *Hippocratis*, quatuor Elementa (quæ minimas rei particulas definivit *Galenus l. 1. d. Elem. c. 1. p. m. 167.*] *Ariſtotelis*; tria *Paracelſi*; quinque *Williſii*; Acidum & alcali Tachenii ſunt harum creaturæ.

§. 229.

Sannis olim & ſequioribus temporibus excipiebatur hæc Philoſophia. Feſtiviſſimi anima *Democriti* inter atomos in Sole volare fingitur (*in Satyra Menippea scras credo hodiè nihil, quam Heinſio Simon Pauli cl. 3. q. B. p. 273. aſcripſit.*] ubi muſcas & Cantharidas ſectatur, aut Ciconias prætereuntibus à tergo cum cachinno publicè oppingit. Factum id eſt ideò, quod, *judice Verulamio* [*in cogitat. & viſ. col. 583.*] à communi ſenſu, & populari judicio erat remotior. Comprimis autem à phyſicis *Epicurus* eſt deriſus, quod doceret aliquid eſſe ex nihilo, & ſine cauſa, quod ex fortuita atomorum declinatione colligit *Voſſius.* [*l. 2. d. ort. & progr. Idol. c. 43. p. 548.*] Nihil autem turpius phyſico [*l. 1. d. Finib. f. m. 53. b.*] con-

concludit Cicero, quam fieri ſine cauſa quicquam dicere. Falſus eſt Epicurus, animadvertit *Hamel.* [*c. l. n. 6. p. 649*] quod motum Atomorum fortuitum crediderit, cum ſit ab Autore Naturæ impreſſus; ſecus enim nihil aliud, quam monſtra videremus, nec ſimile ex ſimili naſceretur. Quis credat ex Atomis effectum eſſe cœlum & terram nulla cogente Natura, ſed cõncurſu fortuito? Quis fuit iſte caſus, unde tam felix concurſus Atomorum, ut repentè homines & animalia naſcerentur? An fortè tam præclara opera ex individuis corpuſculis, nulla moderante natura prodiére? Tribuit eadem dogmata *Democrito & Leucippo* [*l. 1. d. nat. Deor. f.* 14.] *Cicero*, & flagitiorum nomine ſuſpecta reddit. Quæ mea de Atomis ſit ſententia, ex ſequentibus Diſſertationibus patebit, ad quas B. L. remitto, huicque diſſertationi finem imponens gratus exclamo:

CHRISTO FORTUNANTI GLORIA!